

GEORGII FABRICII
AD
ANDREAM FRATREM EPISTOLAE

ex autographis primum editae

ab Hermanno Peter.

Pars altera.

50. S. D. Scripsi separatim de conditione tua, separatim de causa mea. quid [17. Mai 1557. ad has respondeas, facile inuenies, quid ad illas, prudenter cogitabis. Nunc respondebo ad aliquot literas tuas diuersis temporibus acceptas. Quas dedisti pridie Annunciationis Angeli,¹⁾ eae nihil habent nisi querelam de literis ad Iacobum interceptis. Deinde consilium meum exquiris de apparatu nuptiarum, quem ego vellem esse mediocre, praesertim externis hominibus accersendis nollem te esse nimium. Sed de ea re audiisti consilium Iacobi, si eae tibi literae, vt spero, redditae Lipsia sunt, nam ad Fusium²⁾ mittebantur. Quod mihi in iisdem bene precaris, scito preces tuas cumulate auditas: sed de hoc alibi. Sequuntur alterae XVI. Februarii scriptae, in quibus apertius de instituto vitae genere narras et Vrsulam tuam laudas, quam ego *σφοδρῶς* et in te praedico et in me sentio ac plane illud esse comperior diuinum quiddam. Rursus de euocandis multis Chemnicio, Misena, Lipsia, Vuiteberga, Argentorato dicis, quod ego plane non esse necessarium existimo; nam et sumptuum modus laudabilior et cognati, affines aut amici familiaresue omnes nec possunt aut debent vocari nec praeteriti irasci, praesertim cum temporum ratio difficilis et legum seueritas, quae apud vos renouatur, suadeant atque imperent mediocritatem. praeterea ordo noster scholasticus tenuitatem potius honestam quam splendorem sumptuosum requirit. Quod si socero tuo ita rectum videtur et tu paucorum dierum spectaculum magni aestimas, acquiesco et eius sententia et voluntati tuae repugnare nequeo. De pecunia quae ex maternis paternisque bonis debetur tibi, ita se res omnis habet: Materna fuit, quam te praesente numerauit ab obitu ipsius soror, nummi unciales seu thaleri septem, quod ad tuam attinuit partem: eam tua et Iacobi voluntate impendi in pocula tria argentea, quorum unum Blasio missum est, duo vos retinuistis, singuli suum, vt esset *μνημόσυνον* matris, quae illo delectari solita est. Paterna sunt floreni centum et quadraginta, quae ab affine proximo demum autumno numerabatur integra. Blasio data mutuo nihil ad te spectat. De summa altera sexageni floreni dati a sorore mutuo sunt Iohanni Stillero civi Chemnicensi,³⁾ qui numerat usuram florenos tres; sortem iussi reddere, sed nondum est factum, et ego iam dimidium annum urgeo. reliquam nolui cuiquam dare propter hominum perfidiam nec potui, quia affinis raro pecuniam, sed aut pocula aut anulos aut monetas nouas et antiquas attulit, et malui ego aliquid accipere, quam permittere, vt semel praeteriretur tempus constitutum, ne et ipse et nos aliquod caperemus incommodum. De hac reliqua summa soror numerauit quadraginta florenos Francisco Pisoni, auunculo nostro, sed ii mihi soluendi sunt, quia venditis aedibus Pisonis vix intra quatuor annos ea pecunia restituetur. Habes omnem rem. De ea autem pecunia nunc per hunc nuncium florenos quadraginta mitto, reliquam, cum de empta domo ad me scribes, accipies, et ego Stillerrum non desinam urgere, quia eius nunc tempus praeterfluxit. Mitto nunc ad te Angelos pronubos Isaci et Sarae, quos

50. 1) d. 25. Mart.

2) Wolfgangus Fusius Colditziensis, G. F. iam Chemnicii cognitus (a. 1546, ad Meur. p. 26). a. 1546 Tertius Portensis (Bittcher Pförtner - Album

p. 350), a. 1555 'primarius urbis Lipsensis scriba factus' (ep. Iacobi in cod. Northus. 97), † a. 1560.

3) mihi ignotus est.

versiculos Figulus noster suauissime, vt mihi videtur, composuit,⁴⁾ mitto etiam melodias scholasticas mihi inscriptas. Oporino misi Carminum meorum lib. XIII,⁵⁾ quos hac aestate excudet: inserui nomen Sebastiani affinis nostri⁶⁾ et uxoris eius, quod tum me fugiebat; insertum tuum quoque ad finem est. Negotia me iam saepe abstrahunt ab exercitationibus poeticis, et nunc cotidie occupor scholasticis propter nouam foundationem, quia vetus sublata a patronis est, qui esse patroni videbantur, sed sibi patrocinati sunt. verum haec litteris tuto non possunt omnia.⁷⁾ Si Blasii et amicorum Francofurto acceperissem, legisses vberiores literas. Iam ad postremas tuas accedo, in quibus dubie respondes ad conditionem oblatam:⁸⁾ sed hoc negotium totum propriis inclusi litteris. et tu nunc certo respondebis et quamprimum et declarabis plane Adamo⁹⁾ voluntatem tuam: vt habeamus quid respondeamus consiliariis. est perhumanum et nobis honorificum Electoris illustriss(imi) mandatum, id quod me inscio Oeconomus Grimensis¹⁰⁾ impetrauit. Quereris porro de seueritate legis: sed mi frater consule honori tuo mediocritate et legem temere ne viola: erit tibi et honorificum et fructuosum. *Τὸν ζῶντος* omitte, simulator est, et malus est: pugionem non reddidit nec literas, si quas ei commisisti. Habes ad omnia. Tu, etiamsi diem vnum et alterum retinendus tabellarius sit, responde ad meas singulas, praesertim ad binas his adiunctas. Vale feliciter. Misenae Cal. Maii, anno nati Christi MDLVII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et litterarum in ludo [Nort]husano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 134.)

12. Mai 1557.] 51. S. D. Scripsi Iohanni Ebelebio vicino tuo,¹⁾ vt numeret tibi florenos centum, et ei dabis cautionem, si ad te mittetur ea pecunia. Deceperunt me quibus credidi, decepit affinis. Si etiam Ebelebius nullam mittet, vt tamen diutius ea ne careas, mittam diebus pentecostes cum proprio nuncio. Vsura cuius Chemnicensis sunt floreni sex. Te quadraginta accepisse cum literis miror non scripsisse. Vale feliciter. XII. Maii subito. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio ludi Northusani moderatori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 60.)

16. Mai 1557.] 52. S. D. Recte interrogasti frater et de pensione sororis et de pecunia Chemnicensibus ciuibus data; cupio enim ipse quoque omnem e tuo pectore scrupulum exentum, nequid iniuste aut improbe actum putes. Primo anno de possessionibus paternis viginti florenos persoluit soror, sed magna cum molestia, cum et de publicis exactionibus quereretur et solui de bonis non posse bonorum virorum testimonii probaret. Quamobrem de dimittenda domo et comparanda alia cogitauit, dimittere etiam agros voluit, vt domumculam cum horto possideret. Grauari igitur illam amplius nolui et vt libere per annum frueretur bonis concessi et, ne bona distraherentur nostro et ipsius incommodo, laboraui. Affinis autem vexandi nostri ratus se occasionem adeptum, de alia domo emenda cogitat insciente sorore, quod cum ipsa rescisceret, ad me aduolat et vt aequitate vterer erga se, vehementer contendit. Statim igitur post illam actionem cum vna tecum domi essem, emtio literis consignata est inter nos, et iam omnis pecunia soluta excepta parte Iacobi. tradita etiam affini a me bonorum possessio coram Senatu est et oppignorata certa pecunia propter debitum reliquum. Bona autem vniuersa condita sunt, vt scis, florenis septingentis, nam quinquaginta, quos vrgebam vltra, tu iubebas vt sororis causa relinquerem. Viginti autem illi floreni a sorore numerati toti cesserunt tibi primo anno Vuitebergae et paulo vltra; nam si annotasti quae missa sunt, ita esse inuenies. Chemnicensibus ciuibus iis qui pannos faciunt, dedi mutuos ducentos de mea pecunia, his addidit affinis totidem, et ego Blasio suam numeraui summam centum quadraginta statim anno proximo et insequenti,¹⁾ ita vt pecunia illa tota ad me pertineret. de vniuersae autem rediti-

4) *Carmen nuptiale 'Andreae Fabricio et Vrsulae Ernestae. Angelus Pronubus Isaci, Abrahami Gen. XXIII. — Angelus Pronubus Sarae; Raguelis F. Tob. III.' nunc extat in carm. l. I (Poem. sacr. I p. 415 sqq.). — Wolfgangus F. (Toepfer) Numburgensis 1551–1588 Cantor Afranus, artis musicae peritissimus et G. F. probatus, qui de ea et quaedam scripsit et cum alia tum hymnos sacros a. F. uel scriptos uel editos ad numeros musicos redegit (editos a. 1594 a Fr. Birckio); Müller II p. 251. 53.*

5) V. ad 37, 4.

6) Starckii. V. ad 47, 6 et supra n. 4.

7) V. ep. 46. 52.

8) Grimensem; V. ad ep. 48, 3.

9) Sibero.

10) V. ep. 47, 3.

51. 1) V. ad ep. 37, 3; habitabat Eblebiae in oppido Sondershusiensi.

52. 1) ad h. l. ipse F. in marg. haec adscripsit: 'Pisoni mutuos dedi ad retinendam domum sexaginta quinque (qui mihi adhuc debet CV)'. — Piso est Franciscus.

bus et tibi aliqua tribui semel Blasio decem, totidem Iacobo Argentoratum misi et Blasio, qui egebat maxime, rursus viginti donavi. Tuam autem reliquam si ab Ebelebio accepisti, bene est; sin minus, fac primo tempore ut intelligam, ut a me accipias. nolui enim tibi esse obstaculo, toties eam flagitanti. Mittes etiam cautionem mihi te accepisse. Consiliariis²⁾ satis es excusatus, et quia tibi rectius atque commodius videtur isthic rem familiarem instituere quam alibi, acquiesco tua sententia aequissimo animo et Deo gratias ago, qui ostendit vias iuvandi tui duplices, nec dubito, quin ipsius spiritu regatur voluntas tua atque electio. Gratulationes tuae mihi sunt gratissimae et mihi non gratulationes sed facta atque boni euentus esse videntur; et ego quoties cogito, qua ratione Deus aeternus rexerit vias nostras, studia, vitam et nunc hoc ipsum vitae genus, lacrimans et singultiens gratias ago pro immensa bonitate erga nos et nunquam intellexi dictum Petri Apostoli, iubentis Christum e navis a se discedere, quia multos pisces cepisset et peccator esset:³⁾ indigni sumus tantis beneficiis, et ut sumus natura miseri atque stupidi, semper quaerimus modum benignitatis diuinae in nostra dignitate vel indignitate. Sed nunc video et experior nec dignitatem prodesse, quae multa est, nec indignitatem obesse, qua toti nihil sumus, quo minus paternum nobis animum declaret Deus omnipotens propter delectum suum. Caro tamen non aliter loquitur, quam locutus Petrus est; sed impetramus precibus per Christum, ut in nostra naucula maneat, sui cognitionem confirmet, augeat fidem, praestet dona obedientiae et patientiae, ut simus salutaria membra Ecclesiae et misericordiae vasa et ut allecti his temporaneis discamus credere etiam aeterna bona ipsum daturum. Nuptiis tuis interesse non possum; nam XXII. dies Iunii constituta est ludi illustis Oeconomo, socero meo, ut Dresdae sit propter impetrandam novam fundationem seu confirmationem ut vocant,⁴⁾ et mihi nominatim iniunctum est, ne absim, si qua in re mei quoque egeat. Numerus puerorum minuetur, et alentur tantum LXXX. sumptibus principis, XX. numerabunt annuam pecuniam, ut Grimmae, ut quia habitationes commodae sunt, inserui etiam aliorum studiis queat. Si quando huc veneris, omnia nova cernes nec pristinum ludum agnosces: tuum olim conclave quod erat ex optimis unum, nunc coci domicilium est. Munus tuum honorarium accepi et tibi ago gratias et ut orando mihi adsis, te mi frater quaeso rogoque. Ego quoque et Iacobus tibi nunc munera paramus tibique ac tuae sponsae dulcissimae assiduus votis assumus et magnum pulsamus Olympum. Redimerem magno vnus diei tecum colloquutionem: sed et occasionem aliquam inueniemus, quo id fieri aliquando possit. Iam enim non voluntas, sed publica nos impedit necessitas. Figulo tuo nomine gratias egi. Epigamia mihi scribuntur a duobus adolescentibus Vuitebergae, ab vno Lipsiae: quae nondum legi. tria apud me nunc sunt, Iacobi nostri et Treptae et adolescentis Pirnensis, quae quasi *ῥεκτήρια* sunt, discipuli enim mei omnes fuerunt.⁵⁾ Nuptiarum sumptus dat princeps, qui etiam modum praescripsit VI. mensarum. exterum neminem voco nisi Naeuios⁶⁾ ex aula et affinem, socer neminem nisi fratrem, cum mihi sit amplissima a mea sponsa affinitas in omnibus finitimis oppidis. D. Philippus hoc mihi addidit ad epistolam distichon,

Coniugium vestrum sit felix numine Christi,

Inque Deo sit mens vna, sit vnus amor.

Reliqua poetarum et Musicorum suo leges tempore. Vale feliciter, et quoties est cui des, ad me scribe. Sponsam tuam, socerum socrumque, Starckium et Morticium saluta meo nomine et denuo vale. Misenae XVI. Maii MDLVII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et literarum in inclita Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 132.)

53. S.D. Gratulor tibi, optime frater, toto animo tuaeque sponsae et oro Deum [7. Iun. 1557.] aeternum, ut te tueatur et tibi benigne faciat in sempiternum. Mitto tibi poculum argenteum, quod ut animo metiaris non precio, a te etiam atque etiam peto. Adiunxi et *ἐπιγράμια* mihi scripta, sed praeter ea, quae impressa sunt, adhuc habeo Iobi Magdeburgi Graecum et latinum epigramma, item Adami Siberi. item Iacobi fratris, Georgii Treptae, Martini Henrici Sagani,

2) Electoris de conditione Grimensi, uid. ep. 48.

3) Luc. 5, 8.

4) V. ep. 46, 50. Haec noua fundatio non perfecta est. Flathe p. 44 sqq.

5) V. ep. 53, 1.

6) Casparum et Ioannem (1499—1574) Chemnicenses, medicos praecipuos Electorum Mauricii et Augusti, quorum ille postea professor Lipsiensis factus est. ad utrumque ut ad beneuolentissimos patronos F. opera quaedam misit.

Iohannis Andreae Pirnensis, Simonis Sthenii, Tomae Fabri, qui omnes mihi sponte nauarunt operam, in vnus argumenti non iniucunda varietate.¹⁾ Nuptiae fuerunt meae honorificae, in quas sumptus fecit illustriss. princeps et honorarium misit thaleros XX. Sleinicii nobiles²⁾ donarunt thaleros L. omnia transacta sine turba et tumultu. Vxorem meam adhuc in ludo habeo, donec curetur mihi hospitium: quod futurum breui spero. Heri ad me venit cum quatuor filiis natu minimis vxor affinis nostri et partem pecuniae attulit. quamobrem si a Iohanne Ebelebio nihil accepisti, ad me scribe et, si literae ei inscriptae tibi redditae sunt, significa et quo tempore mitti velis summam reliquam, ostende. Addideram in Ebelebianis, vt penes ipsum esset electio, num pecuniam hic filiis suis³⁾ numerari vellet, an ad se mitti. quare si quid ab illo significatum, cura vt sciam. Ista molestia opus non fuisset, si moram ferre te posse mihi scripsisses. Sed quia iam occuparis, facile ignosco tibi, quia plana non fuerunt omnia. modo autem certa rescribere. De domo emenda quid statueris, scire cupio et tibi omnia fausta atque tranquilla precor atque opto. Salutat te vxor mea, pia et modesta et mei obseruantissima. salutat socer vir honestus et bonus. Salutamur nos tuos quoque omnes. Vale feliciter. Misena e ludo illustri die II. Pentecostes. Anno M. D. LVII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et litterarum in ludo Northusano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 133.)

1. Aug. 1557.] 54. S. D. Iam ex te audire mi frater cupio totum statum vitae tuae neque dubito Deum tibi benedicere in nouo genere alterius vitae. quamobrem vt antea saepe excurrere ad te iussi hunc nuncium, qui tuas mihi afferret et quidem prolixas. Pecunia tibi cum opus fuerit, ea tradetur, cui voles et quo tempore voles: modo me fac certiore et in emenda domo vtere consiliis alicuius fidelis amici; vulgus enim iam nimis est ad decipiendum paratum. Habes ludum, vt scribis, frequentem, et ego tibi ac studiis gratulor, socios autem habes, vt audio, minus aptos et quorum tu labores cogeris subire. Nolle te grauare nimium, maxime cum non est necesse, nam nostra sedulitate alios segiores reddere est stulticia et te credo atque scio otium priuatum non male collocare. quamobrem auctor tibi essem, vt aliquem ascisceres tibi collegam ex iis adolescentibus; qui hic tecum in pietate ac literis eruditi sunt; nam is et rationem docendi teneret eandem et te diligeret magis essetque tibi iucundior σὺνβίωτης. A meis rationibus non dissentit Syndicus vester, vir et iudicio et humanitate eximius⁴⁾. Schellenbergius iam datus collega est Adamo Sibero,²⁾ Hedericus³⁾ Matthiae Dabercusio; et

53. 1) Vid. et ep. 54, 4. Haec epithalamia coniuncta a. 1560 Iacobus Fabricius a fratre iussus per Oporinum excudit et ad Ioannem Scultetum, Honstenii et Lomii praefectum, cuius quondam Chemnicii disciplinae Georgius alumnus fuerat, misit, cum praefaretur p. 5): 'cumque haec magna ex parte ab alumnis disciplinae eius sint profecta, tecum communicando uisa sunt haec quasi ὁμαλῆς: quae uti a suis accepit ille, ita ad te deferri me quasi internuncio uoluit'. Sunt autem condita ab hisce: Christophoro Schellenbergio p. 1—19 (uid. ad ep. 54, 2), Iacobo Fabricio p. 19—27, Iacobo Strasburgo p. 27—39, 107—109 (uid. ad ep. 54, 4), Martino Henrico p. 39—48 (uid. ep. 27, 4), Hieronymo Scheinio p. 40—64 (uid. ad ep. 54, 4), Gregorio Bersmanno p. 65—72, Ioanne Andrea Pirnensi p. 72—78, 109—110 (quondam Afrano 1553—1558, qui postea Dr. iur. et professor academiae Lipsiensis fuit, Kreyssig p. 18), Georgio Trepta p. 78—81, 105—107, Philippo Camerario Ioachimi filio p. 81—83, Thoma Fabro Fribergensi p. 83—88 (quondam Afrano 1549—1555, qui postea praeceptor fuit Fribergae, conector Misniae in schola Latina, rector Budissae, G. Fabr. Ann. Misn. p. 211, Kreyssig p. 12, Loose Mitteil. I 4 p. 42), Andrea Agricola Pirnensi p. 88—91, Simone Sthenio Lomacensi p. 91—93, 111—112 (quondam Afrano 1552—1553, qui Budissae gymnasium instituit, Torgauense, Neo-Brandenburgense, Neapolitanum (Palatinum) rexit, multum propter Caluinismum uexatus, denique Heidelbergae quinque deinceps professoras administravit,

† 1619, Kreyssig p. 17), Iobo Magdeburgo (graece et lat.) p. 93—98, 113, Adamo Sibero p. 98—99 (uid. ad 3, 5), Martino Crusio p. 99—100, Blasio Fabricio p. 100—101, Andrea Fabricio p. 102, Christophoro Anesorgo (graece) 102—105, Matthiae Breuio p. 112—113, Christophoro Sleinicio suo fratreque nomine p. 113—114, Paulo Madero p. 114, Andrea Cellario p. 114—115, Philippo Melantheone p. 115.

2) Cum schola multifariam coniuncti, nam et quattuordecim eius gentis disciplinae F. usi sunt et Ioannes de S. a. 1555—71 huius scholae administrationi et inspectioni praefuit. V. Kreyssig p. 614. Schreber p. 327 sq. G. F. epitaphia, Georgii, Ioannis, Michaelis. Dieterici Schlein. in Poem. sacr. II p. 382. 390.

3) qui a Iacobo Misniae instituebantur, uid. ad ep. 37, 3.

54. 1) Matthias Luder, uid. ad ep. 41, 6.

2) Christophorus Sch., Afranus 1543—49, discipulus F. pientissimus, qui et poesi Latinae et historiae operam dedit. 1557—1576 Grimmae tertii collegae munus obtinuit. Carmen G. F. nuptiale 'Chr. Sch. et Annae Siberae' in Poem. sacr. I p. 434 sqq. Kreyssig Alb. p. 1. Schumacher Vit. Ad. Sib. p. 81 sqq. Lorenz Ser. praec. Gr. p. 21. V. ad ep. 48, 1. 69.

3) Bernardus Hedericus Fribergensis, Afranus 1543—49, a. 1557 prorektor scholae principalis Suerinensis, 1574 post Dabercusium, cuius filiam in matrimonium duxit, rector eiusdem et cathedralis, optime ibi de rebus scholasticis et meritis et celebratus. Kreyssig p. 1.

qui tibi conueniret, posset, vt spero, reperiri. Si quod ἐπιγράμματα habes, mecum quaero communica: mea diuidam in libros duos. primus continebit epithalamia Christophori Schellenbergii, Iacobi fratris, Iacobi Strasburgi,⁴⁾ Martini Henrici, Hieronymi Scheinii,⁴⁾ secundus elegias et odas et epigrammata. inscribam meo antiquo praeceptori Ioanni Schulteto, vt sit quasi ὑπεργίγιον. Vellem te quoque adicere aliquid, quantumuis breue.⁴⁾ Iohannem Reiffensteinium⁵⁾ verbis meis saluta et, vbi degat nunc, significa. Quaeso ab eo impetres imaginem Georgii Agricolae medici, quam hic promisit mihi. noticias Antiquitatis non inveni et, si inuenirem, iam pictore carerem. Si generosus comes Mansueldicus,⁶⁾ quicum Reiffensteinius hic fuit, eas probauit, cupit habere, librum meum mittam, vt inde depingantur Romanorum vetera insignia, et scribam iam Basileam, vt inde exempla nanciscar. Cum erit commodum, ad hanc partem rescribe, ne generosus Comes aut Reiffensteinius me leuem esse hominem existiment. Georgium Treptam intra dies octo mittam Lipsiam, si ibi vectorem inueniat, quicum ad Blasium eat; si ibi nullus est et curari a te potest, iubebo puerum ad te excurrere. Margaritam sororis filiam ad me accersam et conabor Ioannem domare, qui iam discit domi pingere literas latine et germanice. Quod poculo accidit vicii, facile corriget aurifex; mihi quinque donata in nuptiis. sed magis illo tuo mediocria. Deum oro, vt a tua domo lectoque ne discedat, et tuae Vrsulae precor laeta optataque omnia. Vale feliciter. Misena. Cal. Aug. MDLVII. Salutat te Iacobus. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti [studia] pietatis et literarum in vrbe Imp. [Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 139.)]

55. S. D. Iacobus frater Lipsiae curabit, vt reliquum quod est de haereditate [4. Oct. 1557. paterna tibi reddatur. Mitto tibi in duobus fasciculis thaleros LXXXVII. et dimidium, qui centum florenos efficiunt: tu, cum erit commodum, mittes cautionem de accepta summa uniuersa. Laboro iam grauissime morbo illo epidemico, qui chatharro et tussi vires labefactat: is vulgatur nunc a mari mediterraneo ad oceanum vsque. nam qui Roma scribunt et Venetiis veniunt, id testantur. Venetiis autem, in qua vrbe omnia geruntur diligentissime, ante mensis spacium viginti hominum milia hoc morbo oppressa numerata sunt. Rari tamen moriuntur. Est autem hic mensis nobis obseruandus, in quo euocati sunt ad patriam coelestem et ad angelorum consuetudinem die quarto Rochus frater anno MDXXII., die quinto Gerdrudis et Margaritha sorores vna hora MDXXXIII., die nono, optimus parens Georgius, anno eodem. Haec me meditantem consolantur et afficiunt cupiditate cum illis viuendi. Eodem mense a parentibus pro mortuo impositus sum feretro, die quarto anno MDXXIII., qui adhuc Dei prouidentia viuo et ei pro tot beneficiis in nos collatis ago gratias. Vale carissime frater. E meis aedibus,¹⁾ in quibus nunc otium ago. Ignosce breuitati, nam has difficulter exaro. Plura scribet Iacobus. Saluta dulciss. tuam coniugem, et mea te tuamque salutat Misena die IIII. Octobr. MDLVII. Georgius Fabricius.

Carissimo fratri suo M. Andreae Fabricio, ludi Northusani moderatori. (Cod. ep. 126.)

56. S. D. Ego mi frater ex parte leuatus sum morbo illo epidemico cum vxore: [17. Oct. 1557. idem tibi opto precorque et, vt scirem, quo statu esses, nuncium hunc oeconomi ad te iussi excurrere. Pecuniam tibi debitam Iacobus Lipsiae tradidit vestro pharmacopolae, quam si accepisti, nuncio committe cautionem. Vualcenrithi apertum ludum miror, quem locum ante annos tredecim inspexi tanquam ἀγχιὰν hominum ignauissimorum: docebat ibi Ioannes

4) Iacobus Strasburg Fribergensis, Fabriciorum studiosissimus, Afranus 1549–54 (Kreyssig p. 14), a Wiclebio Rosslebiā uocatus, ut uidetur, frustra, Lipsiae humaniorum literarum professor (Schreber p. 263), multus in uersibus pangendis, de quibus quidam in Mauricium etiam editi sunt (Jöcher IV col. 866); 'Lutheromastix' a Georgio Trepta dictus (a. 1564 cod. North. ep. 226), Ep. G. F. ad eum (21. Sept. 1561) Schreber p. 87. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sacr. I p. 436 sqq. — Hieronymus Scheinius Dresdensis, Afranus 1549–55, 1560 Conrector Annabergensis, 1580 pastor Arnsfeldae, 1584 Gruenhainae, † 1593 (Kreyssig p. 11). cf. ad Meurer. p. 105 sq. — De Sculteto uid. ad 53, 1.

5) Ioa. Vilhelmus R. (uid. ep. 68), filius consiliarii et cancellarii comitis Stollbergensis, uiri Lutheri affinis et Melanthonis amicissimi, patris fratrumque exempla imitatus litterarum (etiam germanicarum) studiosissimus, † Stollbergae 1575. V. Jacobs A. D. B. XXVII p. 692 sq.

6) Quis fuerit, pro certo adfirmari non potest, nec quem librum F. ei mittere uelit.

55. 1) Aestate eius anni domus Cellensis 'non ampla sed amoena et inprimis ipsi commoda nec admodum longe a schola sita' in totum vitae tempus ab Electore habitanda concessa erat (Iacobi ep. cod. North. 141 de Kal. Aug. 1557). uid. Flathe p. 431 sqq. et supra ep. 41. 43, 5.

Neander, discipulis non melior aut sanior praeceptor.¹⁾ Deo agenda gratiae, qui passim iuventuti constituit domicilia doctrinae et pietatis. Q. Calabri poema non habeo, quod si in thesauris haberem, Michaeli Neandro ad sua studia ultro offerrem, viro diligenti amico nostro, neque quisquam in hoc oppido habet. Quod assuescit concionari ad populum, praeclare ille quidem: sed quid fiet litteris? quae tam paucos doctores retinent. In Vallibus Suditis Casparus Eberhartus scholam reliquit:²⁾ in Melibocis relinquet Neander? Magistri eruditi, boni, elegantes. Te Lutheri libros legere diligenter laudo et tibi gratulor: o mi frater, quantum illum virum intelliges? quantum ab eo defecisse multos senties? Lectionis tuae fructum habes, quia et studia tua et vitam, vt scribis, illa scripta paene immutarunt. Quod mihi accidisse iam ante quinquennium memini et Deum oro, vt me Lutheri discipulum conseruet et doceat contemnere fluxa et peritura et respicere ad vnum Christum et ei vitam fortunasque committere. Quamdiu enim in hoc exilio erimus? quid captamus in vita aerumnosa miseri? quid negligimus in sempiterna infelices? Vellem haec tecum loqui, vt saepe cum Iacobo loquor. Verum haec parae epistolae tuae mihi in molesto morbo solatium fuit. nunquam autem sensi maiores capitis dolores, sed in dextra tantum parte, quantum est cranium. Laborauit eodem morbo vxor mea iam grauida et tussi adhuc laborat, non sine periculo, sed Deum noui haec moderaturum sua voluntate, qua adhuc adquiesco, quamdiu ille manum suam³⁾ porrigit. Sororis filiam domi meae educo, quae eget magistra; Ioannem accersiui, quia impetrandum in aula prius fuit; Abrahamum tibi commendo, quem missum sine tuo scripto ad te nollem, sed non educantur bene, da hoc sorori. Vale feliciter. Mitto nouum libellum Galeni⁴⁾ tibi et D. Neandro. Genealogias nepotum describe, eas nondum recepi a Peucero. Salutat te vxor mea et neptis, Iacobus scribet ipse. Vale et hunc nuncium ne remitte vacuum. Misena. die XVII. Octobr. MDLVII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 138.)

31. Dec. 1557.] 57. S. D. Librum *Τῶν γενέσεων* accepi, quem sine interprete non intelligo. Socer tibi tuus prudenter consulit de non emenda domo propria; nam tempora graua sunt, et esse ciuem atque doctorem in aliquo oppido longe est grauissimum; is enim iam mundi sensus est, vt etiam mediocrem fortunam inuideat iis, qui optime merentur et maxima onera sustinent aliorum nomine. Spero etiam fore, vt tibi aliquando de meliore et quietiore conditione possit prospici, qualis Grimmensis fuisset. expertus autem tu antea es Dei bonitatem in toto studiorum tuorum curriculo et nunc experiere etiam magis, cum habeas fidelem precum sociam. Valetudo mea Dei beneficio est confirmata, valet etiam coniunx grauida. Georgius noster habitabit in domo Sturmii famulus comitum Mansfeldensium. Ioannes mihi placet et ingenio et moribus et scit nutus meos omnes; soror eius rusticior est. eget videlicet illa aetas rectoribus. Tu Abrahamum excita, odi ego in pueris pudorem illum stupidum et agrestem, qui cum naturae sit minime arrogantis aut malae, si emendatur cura et diligentia, plane commodos et mites facit homines. Demus hoc beneficium paruulis et sorori optime merita. Quia moris est, oro te vt mihi syngrapham mittas de accepta pecunia scriptam germanice: qualem etiam Blasius, suo signo confirmatam misit, in qua exprimas nominatim summam patrimonii et quo id tempore atque die sit traditum. Quoties habes, cui des litteras, ne scribere intermittas. Carmen meum De natali¹⁾ ad has libuit adiungere. Absolui iam Partitionum Grammaticarum, quae Tabulis delineatae sunt, Libros tres, quos ad ver proximum mittam Oporino. Pergo autem in Genealogia Saxonica continenter.²⁾ Socerum tuum virum optimum saluta nomine meo, nec non Starckium et Morticium nostros. Salutat te tuamque Vrsulam coniunx mea, precamur

56. 1) cognatus Michaelis (uid. ad ep. 45, 1), Cygneensis, rector Cygnae, Chemnicii, Northusae, Goslariae, mortuus Vualcenrithi otium degens; alii minus acerbe de eo iudicauerunt. Förstemann Mitth. p. 28.

2) C. E. Schneebergensis n. 1523, in patria baccalaureus, tum rector in ualle Ioachimica (Joachimsthal), unde docendi munere abiecto pastor Gottesgabiae, Wolkensteinitz, a. 1564 Misniae factus est, a. 1574

ephorus generalis et prof. theol. Vitenbergae, † 1575. Kreyssig Mitteil. I 5 p. 39 sq. V. Flathe p. 51 sq. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sac. I p. 454.

3) suum Autogr.

4) 'Galeni de humoribus liber nunquam antehac typis excusus. Argent., Blasius Fabricius 1557.'

57. 1) V. ad 20, 4.

2) De Originibus Sax. uid. ad 40, 5.

omnes vobis omnibus annum faustum felicemque. Pauli Fagii viri clariss.³⁾ filius ob factam caedem Dresdae est in carcere. Vale feliciter. Misenae pridie Cal. Ianuarias anni MDLVIII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, in vrbe Imperiali Northusa gu[ber]nanti studia pietatis et [litera]rum fratri suo cariss(imo). (Cod. ep. 146.)

58. S.D. Proximas meas e nundinis tibi redditas existimo, ad quas responsum [25. Ian. (1558)]. nullum accepi, et te in nundinis nihil scripsisse miror. Quamuis autem ipse iam, quod scriberem nihil haberem, tamen nuncium, qui scholae causa saepe in Turingos profiscitur, vacuum ad te venire nolui, primum ea de causa vt de tua tuaeque vxoris valetudine cognoscerem, deinde vt de nostra itidem te facerem certiore. Valemus itaque hic nunc omnes Dei beneficio, et de sua protectione iam paene certus est Iacobus, qui plura scribet. Rogavi vt et cautionem de accepto patrimonio mitteres germanicam. Quod cum hoc modo nuncio potes, verbis paucis, addito signo tuo. De re tua familiari cupio fieri certior. Turbae quae nunc oriuntur inter Theologos¹⁾, vereor ne turbent et dissipent etiam scholas; contenditur enim capitaliter. Tu pro tua prudentia ages vt Christianum decet, dummodo in ludo tuo docere recte et sentire pie liceat. A te autem peto, vt ad nostras respondeas, praesertim priores. Vale feliciter cum coniuge. Saluta socerum tuum, Starckium et Morticium. Si conuenisti D. Philippum Vuerterum, scribe quid agat. Vale denuo. Die conuersionis Pauli Apostoli. Georgius Fabricius.

D. Andreae Fabricio Chemnicensi Ludi Northusani magistro, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 37.)

59. S.D. Hic eques curaturus est filium suum sartorem fieri, cui ego nomine [15. Apr. 1558]. Vuicelebi, cuius minister est, florenos quinque sum pollicitus, quos ille vult ita ei solui, quasi de meo penderentur. Quod si ad te venerit, monstra aliquem magistrum, virum honestum, nisi ipse sciat, et puerum habe commendatum. In itinere lusi epigramma in Staphylum,¹⁾ quod inclusi. His nundinis futuris ad me scribe. Vale et saluta tuam Vrsulam et socerum tuum, quem in imagine filiae moratae vidi. E Porta Salaria, die XV. Aprilis MDLVIII. Georgius Fabricius.

(Cod. ep. 156.)

60. S.D. Saluus domum redii mi frater et cotidie iam versor animo et intuitu [30. Apr. 1558]. in bibliotheca et mensa tua et Deum laudo, qui nobis hanc concessit congressiunculam, quae mihi mutuos fructus affert iucunditatis, dum contempler benedictionem Dei, quae nobis contigit in matrimonio et Ecclesiis domesticis. Te vero etiam prudentem et fortem vidi, in tuo tuguriolo ruinoso. Mitto tibi libros, quos Iacobus donat vxori tuae; vnum exemplum, quod est ligatum in pergamenis, nondum inueni, continens videlicet conciones de morte Christi. De Blasio si quid habes, scribe. Iam nihil fuit, quod adderem amplius. Te tuamque vxorem saluto ego et vxor mea. Misenae, pridie Cal. Maii MDLVIII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum in schola Northusani, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 142.)

61. S.D. Scripsi doctissimo viro Michaeli Neandro et ei meum quoddam [1. Mai. 1558]. exposui iudicium, non tamen sententiam tuli: eas literas curabis ei reddendas, ita tamen vt sponsor meus sis, ne iniquo animo ferat libertatem, quae tamen ad illius praecipue spectat honorem. nosti enim me amare φιλικῶς, praesertim eos, qui labore et studiis delectantur et viri sunt boni, qualem tu mihi illum depinxisti. Video autem illius labores facile posse ab aliis usurpari, ideo hortator sum, vt aliquando ipse Γνωμολογικὸν aut ἀρετολογικὸν instituat, quale est opus Stobaei, non diuulsum in multas partes sed unum in corpus collectum. quod quam in partem dicam, te quoque puto intelligere et spero illi meum consilium non displicere. Quod si aliter institutas habet rationes suas et vtilius quid meditatur, aut ego non satis asse-

3) Fagii (Büchlein), nati a. 1504 Tabernis Rhenanis (Rheinzaubern), theologi doctissimi linguaeque ebraicae peritissimi, Argentorato, ubi cum pastor et professor esset, interimistico cedere noluerat, 1549 Cantabrigiam uocati ibique paulo post mortui, A. D. B. VI p. 533 sq.

58. 1) ex colloquio Vormacensi (m. Sept.—Dec. 1557), quo grauis dissensio inter Melanthonem et Gnesiolutheranos exarsit.

59. 1) Fridericus Staphylus Lituanus (n. 1513) postquam Vitenbergae Lutherum et Melanthonem per sedecim annos audiuit et hoc suasore Regiomonti professuram obtinuit, 1553 ad ecclesiam catholicam rediit et consiliarius imperialis Bauaricusque et academiae Ingolstadiensis inspector factus grauissimas cum Vitenbergensibus controuersias habuit; † 1564.

quor, quod scribo: ferat me vt amicum, castiget vt socium, obiurget vt fratrem. Vale mi frater. Deus tuam scholam publicam et domesticam tueatur suorum Angelorum patrocinio Misena Cal. Maii. MDLVIII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio [guber]nanti studia lite[rarum] inclita Northusa. (Cod. ep. 151.)

24. Iun. 1558.] 62. S. D. Ad ternas tuas post meum discessum sic respondeo: Habes spem de augmento stipendii, de eo audiui nihil. Tuo iussu Neandro scripsi, ille libertatem meam aequo animo feret, non imperiosam, non acerbam, non praetoriam, sed amicam et ipsius honori accommodam et plane simplicem. Amo eius ingenium, amo labores, amo voluntatem bene de aliis merendi cupidam. De metallicis ipsum non admonui¹⁾ quia quae illic fodiantur, ignoro: tu particulas aliquas mitte. Blasii fratris casum doleo, et quia nihil iam habeo, quo illum consolet. Deo ipsum commendo: profecto omnes illius actiones sunt mirabiles, et habet magis mirabiles liberationes, et aderit illi Deus, quo afflictior est, magis propitius. D. Vuellero commendavi adolescentes a te huc missos et rogavi ipsos, vt rescriberent, sed nihil accepi: sunt iam illa oppida olim florentissima in egestate et metalla suum nomen amittunt, quia non amplius fodiantur, vel potius non inueniuntur. Iambici tui sunt compositi et mihi videntur suaues, quos, si potero, his literis addam, quia adhuc sum dubius de certo nuncio. Musicae praecepta quae a me petis, qualia cupias, non intelligo. Opus meum Virgilianum recens ad te misi; interpretes eius poetae si recudentur, erunt emendatiores; nam sex priorum librorum Aeneidis habeo exemplar antiquum: spes mihi facta Florentia est ab Arlenio Peraxylo²⁾ de integro Seruii exemplari, quod fuit Codri Vraei;³⁾ sed puto aut bella impediisse annis superioribus, aut aliquem Italum velle illam sibi gloriam parare. modo promoueantur literae;⁴⁾ cuius illa gloria sit, non refert; ego certe alienis frui laboribus malo. Habes ad omnia. A te peto, mi frater, vt saepe scribas. mitto iam plures ad Iacobum, ad quem excurrere, vt omnes legas et illi solatio sis in solitudine agresti.⁵⁾ Ego cum mea familia bene valeo, fuerunt mihi positae insidiae aulicae, quas Deus auertit, ante quam sciui positae; sed post liberationem tandem sunt cognitae.⁶⁾ Tuam vxorem saluta, te salutata mea. Soror eius initio octauii mensis abortiit, quam ego nunc alo domi meae, vt sororem habeat custodem. Vale mi frater. die Ioannis Baptistae MDLVIII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio, ludi Northusani magistro fratri suo carissimo. (Cod. ep. 147.)

24. Iul. 1558.] 63. S. D. Scripsi nuper ad te et misi cantilenam, quas literas te Rustlebio a Michaelē Schultesio¹⁾ credo accepisse et oro vt respondeas. Has tibi reddet Iacobus Strasburgus Fribergensis, qui nos obseruat, adolescens pius et eruditus: is Ilueldam inspicere cupit et cum Michaelē Neandro contrahere amicitiam: cui vt aditum tuis literis patefacias etiam atque etiam a te peto. Audio hunc offensum meis literis proximis, sed non censoris animo scriptae sunt sed amici: quamobrem tu curabis, vt Neander nobis amicus maneat. Strasburgus tibi dicet, quos ego nunc amicos infidos habeam. Inter vestros Theologos quo modo sit conciliatio facta, scribe prolixius.²⁾ Te puto in vicinia saepe visere Iacobum, ad quem nuncium mitte, vt cum Iacobo rescribas Strasburgo, num nostras omnes acceperit, imprimis num proximas, ad quas adiunxi succinum ab Aurifabro³⁾ missum e Prussia. Adiunge etiam de tua vxoris valetudine: nos quidem hic valemus omnes; mea vxor denuo gestat vterum, quam tuae familiae precibus

62. 1) cf. ep. 35. 38.

2) Arnoldus Arlenius, qui se Peraxyllum nominauit, Brabantius, philologus linguae graecae peritissimus, † 1561 Basileae.

3) Antonii C. V. (1446—1500) magistri Forlensis, tum Bononiensis.

4) 'P. Vergilii opera cum ueris commentariis Tib. Donati et Seruii Honorati summa cura ac fide a G. F. Ch. emendatis. Basileae per Henricum Petri' (1551), quam edit. idib. Aug. 1547 misit ad Val. Grauium et denuo ipse edidit ap. eundem a. 1561. (Sine Donato et Seruii Virgilium apud Val. Papam a. 1551 et 1553 edidit, Schweiger Class. Bibliogr. II p. 1161 sq.) In hac (a. 1561) c. 2146—2170 insertae sunt 'G. F. observationes lectionis Virgilianae'. — Codicem Seruii ab Arlenio Oporinus accepit, uid. ep. 69, F. etiam Fusianum, ep. 69. 81.

5) Eblebiae apud Eblebios.

6) Etiam haec ad Cumberstadii insidias pertinere uidentur; uid. ad 19. 2.

63. 1) M. Sch. Chemnicensis Rosslebiā in rectoratum a. 1557 ab Henrico Wiclebio uocatus, postquam a. 1560 Chemnicii et Annaebergae per aliquot menses docuit, redux illo munere usque ad a. 1564 functus est, quo ecclesiasticum suscepit. Herold, Gesch. v. Rossleben p. 17. Carmina nuptialia Georgii et Iacobi F. 'Michaeli Schultesio et Vrsulae Strasburgae' Poem. sac. I p. 438 sq.

2) Northusae iam a. 1547 uehementes contentiones inter theologos exortae erant, quibus multis pastoribus munera abrogata sunt (etiam Andreae F.); Förstmann Mitth. S. 35. cf. ep. 63. 2.

3) Andreas A. Vratislaviensis (1512—1559), tum consiliarius et medicus Alberti ducis Prussiae, physicus Regiomonti et prof. med. academiae, qui scripsit 'Historiam succini' (1561), A. D. B. I p. 690.

commendo. Vale feliciter. Saluta vxorem tuam meo, vxoris et soceri omnisque nostrae familiae nomine. Vale denuo. Misena pridie Iacobi MDLVIII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio gubernanti studia pietatis et literarum in schola Northusana, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 149.)

64. S. D. Valde aueo scire, mi frater, quo in statu res sint tuae, nam iam [29. Sept. (1558).] menses aliquot nullas neque a te neque de te accepi; quamobrem hoc primum lenies mihi desiderium et de tuo statu omni perscribes diligenter. Epitaphium Hidae Saxonicae, quod in templo summo vidimus,¹⁾ mihi describe. Audiui extare Chronicon Quedilnburgense,²⁾ quod et cognoscere potes ex socero et per eundem mihi ad tempus impetrare. Blasius frater noster graui febre se aegrotare scribit, quod ex ipsius fortasse literis cognouisti. Adolescentes Molhusiani³⁾ adiunctas ad me miserunt Fribergo, qui me orarunt, vt curarem tibi reddendas: audio illis satis prospectum commode. Ego cum vxore mea adhuc valeo, idem tibi precor, vt recte valeas cum tua familia. Iacobi iter differri valde aegre fero. Deo omnipotenti te mi frater commendo. Vale feliciter. Misena, die Michaelis. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, ludi Northusani rectori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 129.)

65. S. D. Gratias ago Deo tecum, mi frater, qui tibi nomen paternum impertiit [26. Ian. (1559).] et vxori tuae partum felicem dedit, id quod ex Fusii nostri literis intellexi; ego quoque Dei Patris nostri benedictionem in dies expecto. Quod tuam seruitutem animo aequo fers et in ea perduras, hoc certe diuini muneris est, neque dubita verum esse, quod pueri canunt 'EHR sorget fur vns, huttet vnd wachet.' Quae verba iam intelliges in cura vxoris et filiolae.¹⁾ Talem igitur patrem et dominum cum habeamus, serui certe felices sumus et ipso largiente manebimus. Requiritur iam hoc tempus nostra colloquia et nostrarum vxorum, quae expendant Dei beneficia et in iis vt pia matronae exultant. In vinea emenda cum sis secutus consilium soceri et affinis, non errabis, modo inuenias fidum agricolam, quia alio in loco sita est nec habet oculum domini inspectorem. Opus Bibliorum nouum tibi comparabo; quod si vetustam translationem, ad quam loca annotasti e Lutheri interpretationibus, ad me mittes, addam etiam Postillam vtranque;²⁾ neque enim talia petenti tibi negare possum. Pete autem, cum visum tibi fuerit ab Andrea Sotere Lipsensi³⁾ vel eius socio, qui Ienae negotiatur. Abrahamum habe commendatum sororis nomine; non credis quid in sorore eius educanda mihi perferendum molestiae: domi non educantur, et nos hanc pietatem praestabimus nostris. Pater in eo positum existimat suum munus, si eos alat et impleat, sed vt formet et doceat, in eo vir est vnus omnium imperitissimus. Vale feliciter. Misena e ludo illustri, die Polycarpi, cui hoc tribuitur testimonium, quod semper eadem senserit et docuerit. Venerandum virum socerum tuum et M. Sebastianum affinem⁴⁾ et inprimis vxorem tuam et meo et meae vxoris nomine saluta. Vestris me commendo precibus, quia nunc impugnor ab hostibus non paruis. Vale feliciter, mi frater, et scribe saepius. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 38.)

66. S. D. Scripsi nuper ad te, quas literas ad Fusium misi, gratulans tibi de [11. Febr. 1559.] vxoris felici partu. expectamus Dei benedictionem Blasius, cuius heri literas accepi, atque ego; quamobrem vt nobis precibus adsis oramus. Iacobi discipulis melius est: vnus ex ipsis periclitatur adhuc. In ista discordia vexor a multis, quos maxime amicos iudicaui, sed adhuc me defendit Dei filius. Tibi tuisque bene esse cupio teque valere diu opto; scribere autem iam plura non licuit. Vale feliciter. Misena die XI Febr. alterius mensis die XV concussa terrae motu Argentina MDLIX. Georgius Fabricius.

Doctissimo atque optimo viro D. Andreae Fabricio ludi Northusani mgro, fratri suo charissimo. (Cod. ep. 162.)

64. 1) hoc monumentum nunc perit. Fürstmann Kl. Schr. I p. 143.

2) V. de his annalibus, qui sub Henrico II rege ex diuersis compilati sunt, Wattenbach Deutschlands Geschichtsquellen I⁴ p. 277—279.

3) Qui fuerint, cum eorum etiam ep. 62 parum adcurata mentio facta sit, definiri non potest.

65. 1) Vrsulae modo (9. Ian.) natae.

2) M. Lutheri.

3) Andreas Heil, a. 1553 ciuis Lipsensis factus, bibliopola multos tum libros typis excudit, ut beneuole Wustmannus me docuit.

4) Starckium.

19. Apr. 1559.] 67. S. D. Nunciauerunt mihi et amici et literae tuae valetudinem tuam aduersam, optime frater, quod mihi acerbum accidit; sed Deo numeranti dies nostros, percutienti et sananti, parendum est, quod te admonere socer tuus tibi praesens potest, vir exercitatus et rerum sacrarum peritissimus; admonebunt caeteri amici, et tu inprimis excitabis te ipsum verbo Dei et vinces patientia. Ego meis tibi precibus adero, mea item domus. Blasio natus est filius Georgius, tertio die post meum Georgium. Paulus III. pontifex¹⁾ Fabricium Chemnicensem damnauit et ignibus eius adiudicauit libros: Argentoratensem et Misnensem Georgium²⁾ ille minister sathanae intactos relinquat necesse est: in quibus etiam crematus reuiuiscam. Tuam vxorem saluto et socerum tuum et breui ad te scribam plura. Vale mi frater et bene spera. Lipsiae in aedibus D. Meureri, qui te salutatur. XIX. April. MDLIX. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia literarum in vrbe Northusana, fratri carissimo (imo). (Cod. ep. 163.)

26. Apr. 1559.] 68. S. D. Lipsia ad te perbreuis misi ex aedibus Meureri, nunc autem vt pleniora de tua cognoscerem valitudine, nuncium hunc amandaui, cum quo scribas velim, quo in statu sit morbus, qui te inuasit. De morte Ilueldensis, optimi viri et senis pientissimi,¹⁾ cum dolore accepi: Deus faciat vt ille Ecclesiae nidulus conseruetur et vt Neandro contingat pius et liberalis patronus; id enim labores et studia eius merentur et illa cupiditas incensa iuuandi posteritatem. Dum percurro catalogum proscriptum a Paulo III. Pontifice, in quarta pagina etiam ponitur

Andreas Fabricius Chemnicen.

Vide quanta tua gloria sit frater, te a vicario Sathanae collocari inter eos, quos princeps ipsius Beelzebub tanquam membra verae Ecclesiae et filii Dei cultores e suo Tartaro excludit, proscrit, damnat. Gaudeamus itaque toto animo tam notam esse confessionem et fidem nostram et Deum oremus, vt nos in sua luce et veritate perpetuo fidos constantesque conseruet; maiorem etiam operam demus pietati et lectioni sacrae, vt sempiternis temporibus ab illo consortio Sathanae excludamur. Coniicio autem tuae proscriptionis causam esse CHRISTVM LACRIMANTEM.²⁾ Quod si renalescis, Christum quoque Triumphantem scribe, de successu sui verbi, de ampliatione imperii, de conuersione multorum, de constantia suorum, qui in Italia, Belgico, Anglia vitam posuerunt, et eum exora, vt in illorum numero nos quoque simus et maneamus; eundem item triumphantem de morte, diabolo, inferno etc. sed non egres me doctore, hortator esse volui. Argentorato nihil accepi, nisi quod Blasio die XX. Februarii hora a praudio prima natus est filius, qui mortuo similis in lucem prodiit, domi baptizatus nomen Georgii accepit; sed nunc scribitur esse firmior. Blasius ipse totus est valetudinarius, vt Iacobi literae testantur. Habet has vita humana vices, donec ad meliorem euocemur. Meus filius laborat tussi, catarrho, insomnia: sumus omnes cum nostris in manu Dei, et viuantes et mortui. Nihil me multis annis maiore molestia affecit, quam contumacia Ioannis,³⁾ qui quod ter a me aufugit, in conspectum eum admittere nolui et ad parentes maestos remisi et auctor fui, vt alii arti manuarum addicerent. Abrahamum, si potes, ad me cum hoc nuncio mitte;⁴⁾ nam scio te aliquando questum, quod cum difficultate apud te habeas, quod mihi quidem persuades; sed tuam in sororem defunctam fraternam pietatem intuetur Deus; afferat autem secum literas et testimonium, quod aliis ostendere queat, quo modo se et in schola et in tua familia gesserit. Sic quae in eo vicia sunt, vt sunt in omnibus multa, de iis me admone, vt facilius mihi cum diuina ope sit emendatio. Libellos quos habet nuncio impone. Horatium quo te donauit, in quo annotata Homerica epitheta, remitte: restituetur tibi exemplar. Mitto tibi poma aliquot, quibus in morbo vtaris; filius meus tuae filiae mittit curallia, quae manui illigentur, vxor mea tuae filiae nummum argenteum, quem collo appendat, quae tu boni consule et ad me rescribe. Transiit hac nuper Ioannes Vilhelmus Reifenssteinus, vir doctissimus, is me vocauit ad prandium; sed cum eo die nuptiae essent, quorum conciliator fueram, venire ad ipsum non potui. salutabis meis verbis ipsum reuerenter. Saluto tuum socerum, coniugem,

67. 1) 1555—1559; primus edidit indicem librorum prohibitorum a. 1557 et 1559; ceterum uid. ep. 68.

2) dicit Georgios modo natos suum Blasique.

68. 1) Thomae Stangii ultimi abbatis monasterii Ilfeldensis, qui cum fidem euangelicam amplexus ibi

scholam instituisset, moriens (20. Apr. 1550) eius regendae munus ipse ad Mich. Neandrum detulit. A. D. B. XXIII p. 342.

2) Carmen a. 1557 editum.

3) Treptae Afrani 1557—59. Kreyssig p. 25.

4) Abr. Trepta Afranus 1559—1561. Kreyssig p. 27.

filiolam meo meorumque nomine. Deus leniat tibi grauitatem morbi et te suae Ecclesiae incolumem conseruet. Vale feliciter. postridie diui Marci, quo die ante annos sedecim Roma egressus sum. Misena e ludo illustri MDLIX. Georgius Fabricius.

Libellus meus auctor editus est, quem adiunxi. ex nuncio potes intelligere omnem statum nostrum.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et li[te]rarum in ludo Northusa[no] fratri suo cariss[im]o. (Cod. ep. 158.)

69. S. D. Fasciculum Argentoratensem Fusius misit, vellem eum maturius reddi- [9. Sept. 1559. tum. tuam esse confirmatam valetudinem gaudeo et Deo gratias ago, qui te iuuentuti voluit praeesse diutius et Ecclesiae tuae domesticae. Collocationes nostras familiares cum affine, viro optimo Sebastiano Starck interrupit iter meum, nam cras iturus sum ad tui veteris amici, mei discipuli nuptias, Christ. Schellenbergii.¹⁾ Quod adhuc ardes amore ministerii, mi frater, ex animo te amo et Deum precor, vt tibi adsit spiritu suo opulente teque seruet in vera et constanti confessione contra hypocritas iam superbientes et secundum Dauidem²⁾ benedicentes auaro; qui cum aulicis praesidiis confidunt et suae sapientiae, sine dubio ante faciem Dei corrunt. Ioannes noster Albinus vir praeclarus est et eius valetudo admodum affecta. Mitto tibi indicem Haeticorum,³⁾ in quo tu quoque a bestia proscriptus es; quamobrem de Christo triumphante cogita, quem lacrymantem Ecclesiae feliciter et tua cum laude proposuisti. Adiunxi sententias Mimis similes auctiores.⁴⁾ Interpretes Virgilii recudentur hac hieme splendidius ab Oporino, qui Seruii exemplar antiquum accepit Florentia ab Artenio Peraxylo. Illud a me expecta, meum his nundinis misi etiam Basileam et auxi castigationes et emendandi locos non paucos e Fusiano.⁵⁾ Meorum Poëmatum libri XV iam sub praelo sunt: probabis, vt credo, Hymnorum librum III. recentem. Postillam et Biblia⁶⁾ a Sotere pete, quando lubet. Socer meus, collegae, vxor et filius te salutant. Tuum socerum senem venerandum cum omni reuerentia saluta, socrum etiam matronam optimam. Quid Morticius noster? num arida rupes manebit solitudinis? si illi adessem, susceperem officium Moisis et tunderem, donec pertunderem rupem,⁷⁾ certe non inhumanam neque abhorrentem ab humanitate. Es wirt ein mal feijer Fridrich kommen, der an den ast sein schild hengen wirt.⁸⁾ Vale feliciter, et scribe saepius. Misena die IX. Septembris MDLIX. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio, Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum [in] schola Northusana, fratri suo cariss. (Cod. ep. 164.)

70. S. D. Hunc nuncium ad te abire iussi praecipue ea de causa vt de tua. [29. Oct. 1559. tuorumque valetudine cognoscerem. Meus filius laborat iam alterum fere mensem quartana, sed paroxysmus bis iam mitior fuit; Georgius Trepta dysenteria laborauit, sed Dei beneficio seruatus est, vt et caeteri Iacobi discipuli, quibus aër Argentoratensis adhuc est aduersatus. Catalogum Haeticorum, quem nuper misi,¹⁾ concinnatum a Staphylo, pontifici traditum a Cardinale Augustano²⁾ multi suspicantur, nec omnino inanis coniectura est; iam mitto ad eundem

69. 1) In matrimonium duxit Adami Siberi rectoris filiam, quas nuptias etiam Melanthon epithalamio honorauit. V. Schumacher Vit. A. Sib. p. 81.

2) psalm. 10, 3.

3) uid. ep. 68.

4) Dicit 'Sententias Publii Mimis similes ex poetis antiquis collectas et expositas', quas una editione coniunxit cum 'Publii Mimis ab Erasmo Rot. castigatis et elucidatis, nunc etiam a mendis aliquot repurgatis' et cum 'Elegantiae ex Plauto et Terentio libris II', quas a. 1554 Dabercusio inscripserat.

5) a Fusio communicato, ep. 81.

6) Vid. 65.

7) IV Mos. 20, 8 sqq.

8) Cf. Ioa. Agricola Prouerb. ad n. 710: 'Ein Keyser soll in einem Berge sein verholen, Friderich gnant, wenn der herfür kompt, so wird er seinen schilt an einen dürren baum hengen. Der baum werd grünen und es werd besser zeit werden' etc. Grimm deutsche

Sagen II n. 494 (p. 170): 'Doch erzählen alte Bauern: Friedrich lebe noch, und lasse sich oft als ein Waller bei ihnen sehen; und dabei habe er öffentlich ausgesagt, dass er noch auf römischer Erde gewaltig werden, und die Pfaffen stören wolle, und nicht ehnder ablassen, er habe denn das heilige Land in die Gewalt der Christen gebracht; dann werde er "seines Schildes Last haben an den dürren Ast." cf. I n. 24 (p. 27). Quoniam uero fama Fridericum scuto suspensum cum Antichristo certaturum esse significat (etiam apud Agricola), F. indicis haeticorum ab Antichristo (cf. ep. 6) propositi memoria, ut illius famae mentionem adiceret, esse admonitus uidetur.

70. 1) V. ep. 67. 68.

2) Ottone episcopo Aug., acerrimo propugnatore ueteris fidei († 1573), qui per tempus aliquod Paulo papae familiarissimus fuerat. V. Stauffer A. D. B. XXIV p. 634—40.

Naogeorgi Satyram, vehementis poetae.³⁾ De ludo nostri Neandri, num conseruatus sit et quam mirabili Dei auxilio, ad me perscribere, non dubito enim Deum ei adesse.⁴⁾ Liber primus Dialecticae editus si est, a Strasburgo ad te mittetur: volui seruire rudibus, alioquin nihil rectius libellis Philippi, absolutius Sturmii, quorum vestigiis incessi et doctrina eruditus sum.⁵⁾ Dono te octo vlnis panni in vestem et a te peto, vt hoc munusculum boni consulas; tabellario solue millaria ad vos vsque e Lipsia (hanc rependam pecuniam alio loco, modo enim non sine causa facio) neque illum detine, quo recurat Lipsiam quam primum, absque tamen literis nequaquam dimitte. Daberschusii filiam ducit Bernardus Hedericus,⁶⁾ tuus olim condiscipulus. Si quid a Iacobo habes, perscribere; item a Blasio; huius nunc sunt nulli reditus, nisi a commensalibus; spero ad ver proximum eo ituros Schleinitzios;⁷⁾ tuis eum precibus meque commendo et Deum oro, vt te cum tota tua familia seruet et gubernet. Starckium affinem et Morticium saluto, imprimis autem reuerendum virum socerum tuum. Salutem vobis omnibus ab vxore mea. Vale feliciter. Misena e ludo illustri IIII Cal. Nouembris MDLIX. Georgius Fabricius.

Oporinus me fefellit, qui Carminum sacrorum libros non excudit, qui fortasse cum tabb. Grammaticis hac hieme excudentur.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi in schola Northusana gubernanti [stu]dia pietatis et literarum [fratri s]uo carissimo. (Cod. ep. 165.)

26. Dec. 1559.] 71. S. D. Literas cotidie expecto a Iacobo, nam ad eum nuncius in fine Nouemb. abiit. Meus filius adhuc quartana laborat et non multum leuationis sentio: tibi tuisque bene esse opto. Legi certamina Neandri cum aduersariis potentibus.¹⁾ Facit ille suum officium, quod monet et obiurgat; minari nollem ne totam causam perdat hoc seculo Giganteo, quod in voluptatibus et armis ponit omnia. Tale, vt scis, fuit ante diluuium et est in fine mundi praedicente Christo nihil aliud expectandum.²⁾ Quidquid retinuerit ex illis spoliis bestiae magnae, hoc est pontifici Romano ereptis, id boni consulat, Diabolo ne cedat, stationem suam defendat, patientia et bona spe nitatur, Deum SIBI praesentem credat. Inueniet prae multitudine aduersantium vnum, qui sit fautor futurus ipsi ad impetrandum aequum et bonum. Literas remitto, quas Neandro restitue. Rostii³⁾ ad te casu resignaui, quas mihi inscriptas putabam, cum nullas alias adiecisset. Quod calamitas tua vineta minuit, feras fortiter. Epitaphium Hiddae in vestro templo iterum mihi describe, nescio quo reposuerim literas tuas. Liber primus Dialecticae editus, vt vides, est puerilis: auditurus sum quorundam iudicia,⁴⁾ deinde fortasse pergam. Mimos a me collectos,⁵⁾ si habes, mitte ad Neandrum: in extrema editione additae sunt sententiae multae ex duobus manuscriptis et plures ex poetis antiquis; excussi enim omnes Grammaticorum libros ad gemmulas istas eruendas, ex quibus etiam quasdam situ corruptas purgaui et deprauatas restitui. Salutant te tuosque vxor mea et socer. Deum precor, vt hic annus nobis omnibus sit prosper atque laetus, amen. Misena die Stephani, qui faciem

3) Thomas Naogeorgus Straubingensis (1511–1563), homo ingenii turbidi, pastor euangelicus multis locis, et dramata quaedam scripserat et satiras in papam, 'Regnum papisticum' (quod constat quattuor libris hexametrorum, primum editum Basileae ap. Oporinum 1553, tum 1559) et 'In catalogum Haereticorum' (quod carmen Regno adiectum est). E. Schmidt A. D. B. XXIII p. 245–250.

4) Stangio abbate mortuo (I. Apr. 1559) quam misere a comitibus Stollbergensibus et Schwarzburgensibus N. uexatus sit, donec ipse fortitudine et constantia sua pericula depelleret, ipse narrauit 'Bericht vom Closter Ilfeld' (ed. a Bouterweckio in progr. Ilfeld. 1873 p. 8 sqq.).

5) Scripsit 'Artis dialecticae rudimenta' in usum schola Rosslebensis, cuius rector Mich. Schultesius a. 1559 ea cum Riuii Grammaticae rudimentis edidit et Henrico Wiclebio dedicauit. Melanthonis libri, qui huc pertinent, sunt 'Compendiaria dialectices ratio' (1520), 'Dialectica recognita' (1527), 'Erotmata dialectices' (1547), Sturmii 'Partitionum dialecticarum

lib. IV' (1548, postquam libri II priores 1539, tertius 1543 editi sunt).

6) V. ad ep. 54, 3.

7) Fort. Iohannes et Huguldus Schleyntzienses filii inspectoris, Iohannes Serhausensis, Iohannes Huguldus et Abrahamus Hoffenses, qui d. 18. Apr. 1559 Vitenbergae instituti erant, uel aliqui ex eis.

71. 1) V. ad 70, 3.

2) ad Timoth. I 4, 1 sq. II 3, 1 sqq.

3) Fort. Simon R., cui carmen nuptiale G. F. inscripsit ('S. R. et Margarithae Thurlerae' Poem. sacr. I p. 425 sq.), praefectus Leucopetrae (Weissenfels), ad quem Melanthon a. 1560 epistolam scripsit (Corp. ref. IX p. 1047).

4) V. ep. 70, 5.

5) V. ad ep. 69, 4. Secundum Müllerum (II p. 35) inscriptio separatae Publii editionis haec fuit: 'Publii Syri Mimi s. sententiae, ineditis uiginti auctae, una cum pluribus gnomis undique collectis et digestis secundum ordinem literarum' (prim 1550 Lips.).

Angelicam, id est fidei constantiam, habens in ipso imbre lapideo vidit se respicientem filium Dei ad dextram patris, qui etiam omnibus constantibus faciem Angelicam dat et benigno vultu in ipsa morte tuetur. Vale denuo. Georgius Fabricius.

Cum nuncius vnum adhuc diem moraretur, D. Neandri litteras perlegi denuo: Lycophronis interpretatio mihi placet,⁶⁾ et cum eum corrigeret vir optimus Nicolaus Gerbelius,⁷⁾ saepe cum eo de varietate lectionis disputaui; in Isaaco⁸⁾ interprete plurima sunt scitu dignissima, quem, vt opinor, vna transferet Neander aut certe excerptet necessaria. Quod si ex reliquis Graecorum interpretibus adderet, quae ad fabulas pertinent, max(ima)m adferret studiosis commodum. Vellem aliquem suorum libellorum dicaret Vuicelebio, qui Rustlebi scholam instituit, in qua plures quam sexaginta pueros cum quatuor praeceptoribus alit. Ista enim liberalitas proferenda est piorum hominum, si forte adhuc aliqui excitentur ad imitationem. D. Cummerstadius diem suum obiit Calcareuti ad Rederam.⁹⁾ Vale.

Andreae Fabricio Chemnicensi Northusani Rectori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 110.)

72. S. D. Aiunt Misnenses mutos in Turingia fieri: cum sermonem probabat [21. Mart. 1560.

Fusius noster; sed tu quaternis iam intra duos menses literis aliud mihi probasti. Ad singulas respondeo, quantum opus est. Meministi in prioribus indicii D. Sturmii de opere Magdeburgico:¹⁾ id ego nondum cognoui. De morte opt. senis Nicolai Gerbelii quae affixit publice, hic adiungo. Res tuas domesticas recte habere gaudeo. D. Neandro insta, quantum potes, vt Opus suum magnum conficiat: ne quis illius lucubrationes coniungens et in capita redigens spoliaret illum laude sui laboris. Onofrius Panuinius Eremita Veronensis edidit de Roma bonum librum,²⁾ qui meum libellum legit et ex eo multa de verbo transscripsit: maluit videlicet hominem exterum compilare quam nomen eius nominare. Meam Romam iam tertium praelo subiiciet Oporinus addito opusculo de templis sanctorum recentibus. Librum de passione Christi inter libros Iacobi nondum reperi.⁴⁾ De successore tuo quod scribis non intelligo.⁵⁾ Nunc ad alteras, tuas binas, vno die scriptas. Ad amicum nostrum in vicinia latitantem⁶⁾ non scribo, ne, si intercipientur, litterae meae illum prodant; sunt enim infidi homines plurimi: doleo valde talis viri fortunam. Matthias tuus, qui ex itinere reuocatus fuerit, qui sit, nescio.⁷⁾ Filius Blasii adhuc aegrotat, meus Dei beneficio conualuit. Hiddae monumentum mittes, cum poteris. Argentinenses partim Northusa, partim Vuiteberga, partim Grimma, partim Oschacio accepi: ita vagae fuerunt, sed culpa tabellariorum ita errant. Carmina mea habebis, cum edita fuerint, item Syntaxim auctiorem,⁸⁾ item Seruium, item Tabb. partitionum Grammaticarum, item Romam; iam enim omnia sub praelo sunt aut hac aestate subiicientur. De morte Volfgangi Fusii⁹⁾ scripsi elegiam, vnam ad te Strasburgus: quas etiam edent Lipsienses. Christum triumphantem

6) In hac interpretatione tam diu haesitauit, ut tandem eam Canterus interciperet; uid. ep. 97.

7) n. Phorae (Pforzheim), ab anno 1515 usque ad mortem (20. Jan. 1560) Argentorati, professor historiae et de geographia ueteris Graeciae constituenda optime meritus idemque in corrigendis libris docte uersatus, compater Lutheri. L. Geiger A. D. B. VIII p. 716—18. Hic F. Lycophronis Cassandreae editionem cum commentariis Thetzae dicit, quae prodiit Basileae apud Oporinum, Gerbelii amicum, a. 1546. Vid. ep. ad Meurer. (a. 1546) p. 25. Epist. nunc. Itinerum p. 9, Praef. 'Romae' p. 18.

8) I. Thetzae, Lycophronis interprete.

9) 26. Decbr. 1559.

72) De opere illo a Flacio parato, quo historia ecclesiastica instaurata est, quod inscribitur: 'Ecclesiastica historia integram ecclesiae Christi ideam secundum singulas centurias complectens, congesta per aliquot studiosos et pios uiros in urbe magdeburgica', cuius apud Oporinum Basileae a. 1559—1574 tredecim centuriae publicatae sunt.

2) Neander postquam sententias singulorum quorundam scriptorum collectos separatim edidit (ut Aristologiam, Euripideam, Anthologium graecolatium ex Hesiodo, Theognide etc), iam tum 'Opus aureum et

scholasticum' parabat, quo ut omnes superiores lucubrationes coniungat, saepe instat F.; absoluit a. 1577, sed iam antea (prima epistola dedicatoria a. 1559 data est) partes ad patronos quosdam miserat, ut ad ipsum G. F. Gnomologium (I p. 320—671) cum carmine graeco. Cf. 79, 2.

3) Panuinius n. 1529 eremita Augustinianus per maximam uitae partem bibliothecarius Vaticanus, † 1568. fuit homo litteratissimus, sed idem falsarius. Prodiit 'Antiquae urbis imago' Venet. 1558. Vid. Jordan Topogr. d. St. Rom I 1 p. 85.

4) Fort. 'De passione Domini nostri Jesu Christi, ex diuersis auctoribus antiquis et recentioribus collecti libri II per Adamum Siberum.' Basil. ap. Oporinum.

5) Andreas cum diaconatum ad Sti Nicolai suscepturus esset, de deponendo rectoratu cogitasse uideatur. uid. ep. 74.

6) Wolfgangum Werterum, ut uid.; uid. ad 40, 1.

7) Ni mirum esset, si Georgius Matthiae Luderii (uid. 41, 6. 54, 1) oblatus esset, hunc suspicaremur.

8) 'Syntaxis partium orationis apud Graecos' primum edita Argentorati a. 1546. Müller II p. 41.

9) qui breui ante mortuus erat, uid. ad 50, 2. Elegiam non uidi.

legi, sed nondum expendi. Postremae tuae loquuntur de senatu vestro, cupiente¹⁰⁾ doctrinae scandala tollere: Deus adsit omnibus, qui serio agunt causam ipsius et non duplici ore loquuntur nec student nomini aut honori suo. Quem exitum deliberatio habitura sit, fac me quaeso certior. Horribiles persecutiones sunt in Hispania, crudeliores in Gallia, in Belgio minus saeuunt, quia non possunt. In Dialecticis pergo, sed priore editione malam inii gratiam. Edita a me habebis omnia. Vale mi frater. Salutatur te vxor mea tuamque familiam omnem. Misena die XXI. Martii. MDLX. Georgius.

Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et artium [in] ludo Nort-husano, fratri [su]o carissimo. (Cod. ep. 166.)

3. Mai. 1560.] 73. S. D. Ad superiores mi frater hoc addo: Quod te fatigas multis laboribus, in schola, in templo, in suggestu, docendo, canendo, concionando, mihi non placet, non quod operae tuae non sint omnium pulcherrimae, sed quia nos non ferrei sumus; et ego experior quid possit distractio cogitationum. D. Neandri mors¹⁾ mihi nunciata fuit, quem viuere Deo gratias ago. Ego, vt ad te fratrem frater scribam, non valde probo istas priuatas vel constitutiones vel synodos, quae possunt esse malorum maximorum causae, neque D. Lutherus passus esset fieri, sed hoc agendum erat, vt communis esset consensus. Si repetiueris Ecclesiae veteris tempora, cognosces id vtiliter non fieri. Igitur Diabolo obstandum erat, ne singulae vrbes, oppida, domini aut principes, sed vt vniuersi se coniungerent in vna vicinia et in vna confessione. Quod ad te attinet, inuoca Deum et prudens esto atque moderatus. Deus autem suo spiritu veritatis et lenitatis obstat Sathanae, vt tollantur odia et dirae illae inter ministros ipsos. Christo tuo lacrymanti et triumphanti adde Christum afflictum atque passum, et fer in emendando seueritatem meam. Poëmata sacra et syntaxim Graecam auctam mittam fortasse breui cum collega meo D. Iobo:²⁾ nondum exemplaria accepi. Mechalburgicus³⁾ pro dedicatione misit thaleros XXIII, reliqui omnes nihil. Strasburgus vocatur a Vuicelebio;⁴⁾ hic dolet me offensum et sarciet illas irulas. Opus ecclesiasticum magnum⁵⁾ nondum legi. Obitus D. Philippi⁶⁾ erit causa nouorum tumultuum. Clariss. virum Neandrum ex me saluta et hortare vt sit strenuus in suo Opere magno et aliis postpositis illud vrgeat et ad tempus quiescat tali labore absoluto.⁷⁾ Roma mea, item Partitionum Tab. edentur hac aestate, nisi fallit Typographus, item Seruius in Virgilium. Vale mi frater. Misena V Non. Maii MDLX⁰. Georgius Fabricius.

M. Andreae Chemnicensi fratri suo carissimo. (Cod. ep. 168.)

29. Iul. 1560.] 74. S. D. Donatum Maiorem, patria Mogellanum¹⁾ de meliore nota, mihi commendauit vir doctiss. Ioannes Sturmius vt modestum, industrium, temperantem, literatum. Vixit in ludo Portensi, Iacobi nostri amicus, postea Noribergae, Lipsiae, Vitebergae, Argentorati secum duxit nobiles aliquot adolescentes et illorum paedagogus fuit annos septem. Is nunc quaerit conditionem scholasticam, pertaesit itinerum. dixi te quaerere successorem et iussi locum inspicere. De doctrina caelesti sentire ipsum recte intellexi et exercitatum in docendo arbitror. Credo esse non paucos, qui ambiant; sed et hunc tibi notum volui: tu etiamsi dimissus nondum sis, amice illam dimittes et ad senatus indicium prouocabis. A Strasburgo nondum responsum accepi, ad Treptam quod attinet,²⁾ neque sunt occasiones, quando nos volumus. Soluere pro illo debitum pater grauabitur, qui copiosam familiam habet et in ista difficultate temporum a pecunia non est paratus; ita enim mihi nuper conquestus est. Ad patrem ipse veniat necesse est, quia praesentia eius mouebit, et si inspexerit domum paternam, foris ipse erit minus pertinax. Sororem eius a me dimitto, quae domi esse mauult. Mea beneficia meis sunt ingrata, et qui me laudare debebant, stulticia accusant. quae res mihi magnam affert aegritudinem. Non possum ab illis abiicere animum, modo non exulcerent meum. Verum ista Deo committo. Vale feliciter. De tuae vxoris partu laeta atque optata expecto. Georgius

10) cupientem Autogr. Ceterum uid. ad 63, 2.

73) 1) Michael cum Ioanne falso confusus erat.

2) Magdeburgo.

3) Ioannes Albertus, dux Meg. (1525—1275), uir fortissimus, ad quem G. F. 4. Apr. 1557 'Militiae sacrae libros II' miserat, qui hoc anno 1560 ipse Fabricium ludumque uisit. Flathe p. 30. (Annal. Misn. p. 214 sq.)

4) Rosslebam.

5) V. 72, 1.

6) 19. Apr. 1560.

7) V. ad. ep. 72, 2.

74) 1) Don. Gross (nat. in opp. Mügeln) ab a. 1544 Portensis, 1563—1605 rector Mulhusensis, † 1618. Bittcher Pförtner-Alb. p. 4.

2) V. ep. 75.76.

meus rursus laborat quartana, Iacobus melius adhuc habet, Dei beneficio. Vale denuo. Vxor-
rem et filiolum tuam saluto. Heri visa sunt in momento horae septimae mane παρόλῃα.
Misena XXIX. Iulii. MDLX. Georgius Fabricius.

*M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et li . . arum in ludo
Northusano [frat]ri suo cariss[im]o. (Cod. ep. 170.)*

75. S. D. Theodosium filium natum tibi vxore salua tecum laetor frater optime [20. Aug. 1560.
et Deo gratias ago. est autem dies III. Id. notus in historiis: eo enim proelium commiserunt
Sueui et Bauari, anno 1081: rursus Franci et Saxones, anno 1086 imperante Henrico III.
Eodem expugnatum Strigonium¹⁾ Vngariae a Solemano 1543, qui caput ducis, qui urbem defen-
derat, dono misit Venetis. Tibi eum diem gaudio fuisse gaudeo: faciat Deus, vt maneamus
membra Ecclesiae cum nostris liberis. Quod Trepta ad patrem non venit, quod certior factus
de Lipsiensi conditione per te nihil scribit, miror. Si nos contemnet, non inueniet fideliores
patronos: tu hortare, vt sit pius et audiat suos. Sororem eius remisi domum, intractabilem,
superbam, somnolentam. Dici non potest, quam me cruciet ista meorum pertinacia; tu et
fratres tui in me tales non fuistis, et Deus vobis benedixit et benedicet prolixie timentibus se
et obediens. Melchior Piso auunculus e Stiria ad me scripsit, quod etiam ante biennium
auctus sit filio ex Caecilia, vxore secunda: quem optat aliquando cum meis institui. Vtinam
viuerem, vt hoc illi praestarem officium. Redeo ad Treptam: si Lipsiam venerit, conueniat
Strasburgum, nostri studiosiss., qui eum amabit nomine meo; inde inuisat me et patrem.
Meorum poematum nullum amplius exemplum habeo, syntaxis mitto; quae in eam annotasti,
communica, praesertim vbi cum Latinis conueniunt Graeca. Reliquos libros Bibliorum mitte
nundinis autumnalibus Lipsiam ad Strasburgum; is poemata fortasse ideo tardius mittit, quia
non addidi literas, et fieri potest, vt distribuerit amicis; sed ita iam de me meretur, vt habeat
potestatem tale quid faciendi; sed reponet tibi, mihi crede, hoc dispendium. D. Neandrum
virum diligentiss. ex me saluta reuerenter. Graeca epigrammata habeo impressa in pergamenis,
literis maiusculis, quae est prima omnium editio Florentina, quam Chalcondyles²⁾ emisit; prae-
terea nihil in mea bibliotheca est, quo illum iuuare possim. Trallianus³⁾ medicus quasdam sen-
tentias habet, breues et argutas et tantum ἐπιγωνματιζὰς, is excusus ab Henrico Petri cum
versione latina et duplici castigatione, Lycophronem hortare ne deponat, propter fabulas, item
Apollonium,⁴⁾ nam habent eruditos interpretes. Commendaui tibi nuper Donatum,⁵⁾ Treptae
nostri comitem. Plura iam non licuit. Vale feliciter. Misena XX. Aug. MDLX. Georgius Fabricius.

*M. Andreae Fabricio Chemnicensi, ludi Northusani magistro, suo fratri cariss[im]o.
(Cod. ep. 174.)*

76. S. D. Treptae nostri opera vsurus est Iacobus Strasburgus, qui ei praebebit [5. Oct. 1560.
victum et habitationem. dedi ei vasculum pomorum, quod ad te mittat, sin vectorem non habeat,
relinquat Strasburgo. Christum afflictum velim perficias. Comitem Treptae¹⁾ ad te non venisse
miror, nec literas misisse multo magis miror. In historia mea iam lente progredior, quia ad-
iuuat me nemo. ad nostra tempora nondum perueni: quae profecto sunt mala et durissimi
iudicii et valde ἐλεγχτικά. quae scribo, trado aulae; quid futurum sit de editione, nescio, nec
ego ita expeditum sum, vt possim fundere verba. Admonitio tua mihi fuit grata, gratum etiam
D. Antonii²⁾ carmen et epistolium, quem nomine meo saluta. Filius meus natu maior nondum
liberatus quartana, minor maculam in dorso habet igneo colore, materia crassa et carnosae et

75) 1) Gran.

2) Demetrius Ch. 1428 — 1510, docuit linguam
graecam, ab anno 1479 Florentiae, ab a. 1592 Medio-
lani. Impressa est haec editio 'Florentiae per Lauren-
tium Franciscum de Alopa Venctum' a. 1494. Ceterum
haec editio vulgo fertur sub nomine Lascaris, qui qui-
dem epigrammata quaedam praemisit. Error Fabricii
— si error est — inde esse ortus videtur, quod in
plurimis editionibus membranaceis (quale unum ex
Philippi de Werthern bibliotheca possidet Dresdensis
regia) ea quae in chartaceis et initio et fine epigram-
matis addita sunt, desiderantur. V. Hoffmann, Bibliogr.
Handbuch der Griechen 1 p. 167 sq.

3) Alexander Tr. sub Iustiniano scripsit τετρα-
πεντιζόν (XII libr.) et epistulam περὶ σωλήζων vel
ἐλεγίων. Editio haec est: 'Al. Tr. gr. et lat. S. Guin-
terio interprete et emendatore. acc. uar. lect. cum Iac.
Goupyli castig.' Bas. H. Petrus 1556.

4) Neutrum addidit (uid. ad ep. 71, 6), etsi etiam
Ap. Rhodii Argonautica a. 1561 absoluerat, Meister
Jahn. Jahrb. CXXIV p. 232.

5) Maiorem, ep. 74.

76) 1) Donatum Maiorem, ep. 74, 1. 75, 4. cf.
fin. ep.

2) Werteri.

turgente, cui adhibere coactus sum chirurgum cum ingente corpusculi tenerrimi dolore. Quare pro vtriusque incolumitate tu quoque mecum Deum ora, et vale feliciter. Partitiones Grammaticae meae num exierint, nescio; itidem de Roma incertus sum. Te, tuos liberos et coniugem Deo commendo. Ioanni Tetelbachio die II. Octobr. despondimus Susannam, meae vxoris sororem, Oeconomi nostri filiam, opt. puellam.³⁾ Treptae sororem ad patrem remisi. Vale denuo. Misena die V. Octobr. MDLX. Georgius Fabricius.

Viennae iam coniuncti sunt Osius,⁴⁾ Canisius,⁵⁾ Staphylus edituri nescio quid magnum. Tuam concionem legere cupio. Comes Treptae aegrotat Vuitebergae, quod inter scribendum nesciui.

M. Andreae Fabricio docenti pietatem et literas in ludo Northusano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 171.)

25. Nou. 1560.] 77. S. D. Iacobus suo furioso discipulo est liberatus; Gallicam profectionem, propter quam tanta pertulit, ei non dissuadeo, ei profuturam tota vita, quam et volente Deo et bona conscientia potest suscipere. Si vixerit iis in locis, in quibus regnat nunc Cardinalis Lotharingus¹⁾ cum suo praesidio militari Italico, videbit constantiam eorum, qui mortem pro Christo oppetunt intrepide, nobiles et ciues periclitantur, sed in sexu imbecillo fere maior animositas. Sin aliis aget, videbit mirum contemptum sacrificulorum, quorum templa nemo adit, quorum sacra docti et indocti rident, ipsos monachos ante aras trucidant, qui Christum recenter illic natum nunquam exturbabunt. Aquitania et Narbonensis prouincia liberos concionatores habent. Caluinus eos nuper hortatus est, vt libertatem amplectantur Christianis dignam, excusso iugo pontificio. Quid futurum sit, audiemus. Ex Italia Germani studiosi migrant in Galliam propter annonae difficultatem. Quare a te peto, quia Iacobus habet causas sui itineris, vt eum potius confirmes, quam terreas; ita enim institutus est, vt non sit dimissurus ex animo suo Christum et multa visurus, quae eum virum meliorem et patriae vtiliorem efficient. Deus faciat, vt felix eat et felix ad nos redeat. Tetelbachii nuptias celebrauimus die diuae Elizabethae,²⁾ cum gaudio ciuium Chemnicensium; comitata sponsam est in patriam nostram vxor mea cum natu minore filiolo Iacobo, qui infans discit niues et frigora perferre, vt olim Dei beneficio perferat. quorum redditum in his imbribus et ventis cras expecto. Christum mactatum expende et absolue, tum et lachrymantem et gloriosum ad me mitte. E nostra bibliotheca liberum mihi non est sumere quidquam: quoties ratio redditur in aula, numerus librorum notatus offertur; in mea quod est, alio tempore habebis. Carmen meum de natali Christi iam est sub praelo.³⁾ Oporinus Tabulas meas vult recudere minore forma, vt sint scholis aptiores: quaecunque Francofurti habuit exemplaria, ea distraxit. Roma auctior est in fine prolixo capite et locis aliis. *περὶ τῆς συναλλαγῆς*, de qua scribis, nihil audio: faciat Deus, vt desinant irae et sanciantur concordia cum lenitate et patientia et vt vincat veritas et vt possit iri aduersus sanguinolentos Papistas. Vale feliciter. Misena. e domo mea, die Catharinae. Saluta vxorem tuam, et bene sit paruulis tuis. MDLX. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano, [frat]ri suo carissimo. (Cod. ep. 181.)

24. Mart. 1561.] 78. S. D. Gallia nunc est quietior, quam fuit, et Nauarrae rex a religione non est alienus, et puerum regem aiunt recte institui. Iacobi profectio iam instituitur, cui literis sum bene precatus, quas dedi M. Schirnero ciui nostro,¹⁾ qui propter patrem defunctum iam domi adhuc est et post dies Paschales rursus abibit. Eblebium²⁾ autem circa id tempus veniet, cui potes tuas quoque literas mittere et illi prospera optare. D. Neandri opus impediri iniuria hominum malorum doleo, quod iam sub praelo esse vellem: nescio quae sit illi instituta euulgandi ratio, vt partem eius ederet, reliquam interea adornaret.³⁾ Literas eius legi, vel potius

3) V. ad ep. 20, 2. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sacr. I p. 458 sq.

4) Stanislaus Osius (1504—1579) Cracouiensis, Cardinalis et episcopus Varmiensis, qui etiam concilio Tridentino interfuit, multa pro vetere ecclesia et contra nouam, etiam carminibus scripsit. Böcher III c. 1124 sq.

5) Petrus Canisius (1521—1597) Nouiomagensis, impigerrimus assecla Ignatii Loyolae, qui cum multa Summam doctrinae christianae per quaestiones

catecheticas luculenter traditam composuit. V. Ennen A. D. B. III p. 749—56.

77) 1) Carolus, archiepiscopus Remensis.

2) 5. Noubr.

3) ut recudatur dumtaxat, uid. ad 20, 4.

78) 1) Fort. Henrico, cui et Iudithae Dasipodiae G. F. carmen nuptiale inscripsit Poem. sacr. I p. 489 sq. 2) in principatu Sondershusano, domicilium Eblebium.

3) V. ad ep. 72, 2.

non legi, quia legere non potui: id ei ne velim significes. Cui cum aulis negotium est, non potest grauius habere; cui cum contemptoribus literarum, non potest habere molestius. Sunt tamen eius experientiae etiam vtilitates. Hortare, quantum potes, nostrum Neandrum, ne deponat opus praeclarum suum et fatiget auditores, donec in aliquam formam redigatur. Mitto tibi ex antiquo libro Germanico praefationem, ex qua cognoscis opt(im)os Imperatores Germanorum vere Germanos non interdixisse lectioni sacrae vulgo hominum, vt nostri nunc faciunt Belgicis mandatis et vt totus Papatus facit: eam potes Ienensibus,⁴⁾ qui historiam colligunt, communicare. Habet D. Illyricus Lotharii Saxonis Imp. genealogiam, quam si mihi impetrabis, facies rem omnium gratissimam. Christum tibi remitto, quem descriptum trado Strasburgo, vt curet excudendum, non sumptu tuo, quem petunt typographi, sed eius, qui inde captat lucrum. Si tibi videtur aliter, tuae etiam acquiesco sententiae. Literas Alesii non habeo alias, nisi ad Menium,⁵⁾ eas si non legisti, mittam proxime. De Trepta cognosces ex literis ipsius; nam mihi ad scribendum non est otium. Filii mei iam bene valent, Dei beneficio: capitis dolores, qui me cruciarunt, diminuti sunt; bene etiam habet vxor. Tibi tuisque etiam precor optata omnia. Vale feliciter. Misena IX. Cal. April. MDLXI. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi fratri suo carissimo. (Cod. ep. 197.)

79. S. D. Natus est mihi filius quartus XVIII. Cal. Sept. post decimam noctis, [19. Aug. 1561. quem de tuo nomine Andream volui appellare: is perimbecillus domi baptizatus est et horas tantum tres vixit, properans nimirum ex hac misera vita in amplexum filii Dei. Vxor in periculo fuit, quia partus *ὄκταμηναιος*. Die altero in templo ludi nostri ad latus Ioannis primogeniti mei conditus est. quo die vt secutus sum funus filii, ita ante annos sex et viginti secutus sum fratris nostri natu minimi Michaëlis. hunc igitur habebō semper acerbum, semper honoratum. Iacobus frater noster pridie Cal. Iulias discessit Argentorato cum duobus discipulis¹⁾ in Galliam, vbi sedem habiturus sit, adhuc ignoro: faciat Deus, vt illum cum gaudio amplectamur. Rex nouus undecim annorum puer Carolus IX. inauguratus est Rhemis Idibus Maii. Franciscus Hotomanus Gallus,²⁾ qui huc legatus transiit, omnem illi operam est pollicitus nomine meo, agit autem in aula regis Nauarrae. Ego iam perlego poëtas antiquos christianos et curabo, vt vno libro excudantur, quod meum studium si potes iuuare, quaeso ne intermitte. Habeo opuscula quaedam poëtica Cypriani, Victorini, Hilarii, Ambrosii, Gregorii, tum qui ex professo hoc egerunt, Alcimi, Prosperi, Iuueni, Paulini, Prudentii, Sedulii, Aratoris, Victoris, Drepanii, Baebiani, Dracontii. Fortunatum manuscriptum ab amico expecto.³⁾ De tuis rebus, valetudine tuorum cognoscere cupio, quia nullas iampridem tuas legi. D. Neandrum virum opt. reuerenter saluto cum tua omni familia. Vale feliciter Misena e ludo illustri XIII. Cal. Sept. MDLXI. Georgius Fabricius.

Eximia virtute viro Andreae Fabricio fratri suo carissimo. (Cod. ep. 193.)

80. S. D. Andream filium simul mihi a Deo patre datum simulque ereptum [25. Aug. 1561. proximis literis ad te scripsi, quas M. Strasburgo misi transferendas et eas te accepisse existimo. Senator quidam Misnensis Carpius,¹⁾ vir honestus, vxorem ducit sororem M. Sebastiani Starckii, ad quas nuptias inuitaris; cum autem et Starckium et Morticium amicos nostros huc venturos omnes sperent, vellem te illis vt socium adiungeres. Constituetur illis certum hospitium, sed tu ad me diuerteris. Peto autem a te etiam atque etiam mi frater, si fieri vlla ratione potest, vt hoc iter ad nos suscipias, tali praesertim occasione; infinita enim sunt, quae tecum loquerer, et meos filios te

4) Flacio, Musaeo, Wigando, Iudici, uid. ad 72, 1.

5) Alexander A. Scotus (1500—1565) a. 1532 in Germaniam migraverat ibique fidem euangelicam amplexus maximam uitae partem degerat (A. D. B. I p. 336); Iustus Menius Fuldensis (1499—1558), 'reformator Thuringiae' (A. D. B. XXI p. 354—356). Scripta utriusque multa sunt; nam multis contentionibus interfuerunt, post Lutheri mortem et Melanthonis et Georgii Maioris doctrinam defendentes.

79. 1) Ebeleis uid. ad ep. 37, 3.

2) natus Parisiis, iectus et philologus (1524—1590), nouae fidei addictus, qui multis in urbibus ius Romanum docuit atque idem per tempus aliquod apud regem Nauarrensem aulicum quoddam munus administravit.

3) Edidit a. 1564 Basileae apud Oporinum: 'Poetarum veterum ecclesiasticorum opera Christiana et operum reliquiae ac fragmenta; Thesaurus catholicae et orthodoxae ecclesiae et Antiquitatis religiosae, ad utilitatem iuuentutis Scholasticae; Collectus, emendatus, digestus et Commentario quoque expositus, diligentia et studio G. F. Ch.' Epistola dedicatoria textus ad principem Alexandrum administratorem Mersburgi etc. d. 17. Febr. 1562 data est, commentarii ad Ioa. Neuium d. 19. Iun. 1562. Fortunati codex fuit Murbacensis, quem ad eum misit Oporinus, Comment. p. 57.

80. 1) Claus Karppe uel Karp senator 1553—85. Loose Mitteil. II 1 p. 42 sqq.

videre vellem tuosque vicissim liberos conspiciari; petit idem vxor mea, petit socer et amici omnes. Quamobrem loco te aliquando moue, et inuise patriam et recrea te et hic et alibi colloctionibus amicorum veterum. Cum hoc autem nuncio significa omnem statum tuum; nam nullas iampridem tuas literas legi, de quo silentio tuo etiam Blasius et Iacobus mihi conquesti sunt. Vxor mea a partu valet satis commode. Institutum meum, de quo literis prioribus, si potes iuuare, iuuat. Te tuamque familiam omnem saluto. Vale. Misena, postridie Bartholomaei. anno a nato Christo MDLXI. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano fratri suo carissimo. (Cod. ep. 188.)

20. Sept. 1561.] **81.** S. D. Pensio de vinea, quia ad redditus Illustriss. pertinet, tibi non remittitur sine literis supplicibus et magna intercessione, et quia operae precium labor talis non est et fortasse frustra susciperetur, velim ut aliam aliquando tui iuuandi occasionem expectes. Virgilii cum interpretibus editionem postremam ad te mitto: veteres castigaui bis et in primis sex libris habui manuscriptum a Fusio mihi communicatum, recentiores confudit typographus, qui non mecum sentit. D. Neandro mitto poemata.¹⁾ Si Theodosius lactatur et vxor grauida est, et matri nocet et infantibus ambobus. De voce Punicae, de qua scribis, audiui nihil:²⁾ neque ego in aulam venio, nisi vocatus. Affinis noster M. Sebastianus Starckius de meorum valetudine narrabit et erit tibi loco prolixae epistolae. Salutat te vxor mea et Vrsulam tuam. Siquid a Iacobo audiueris et de ipso, scribam ad te. Vale feliciter. Misena XX. Sept. MDLXI. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 187.)

27. Apr. 1562.] **82.**¹⁾ S. D. Literas, quas ciui Dresdensi commisisti, cum indicibus accepi, quas Ioachimo dedisti, homini uanissimo,²⁾ nullas vidi: is autem te adit, non vt amicus, sed vt pessimus proditor, quare ab eo tibi cauendum censeo. His nundinis a Iacobo fratre nihil accepi, sed ab aliis intelligo ipsum valere. De psalterio Siberi³⁾ tuum aliquando audiam iudicium. Lagenulam, quam misisti, accepi. Cantilenam, quam misisti, cum quo nescio, non accepi. Hi adolescentes Saxones, modesti, ut apparet, homines, Neandrum videre cupiunt, quos quaeso iuues, ut videant. Vxori tuae grauidae ut bene sit, precor: mea Dei benedictionem expectat mense Iulio, tua Augusto, vt scribis. Spiritus Dei omnipotens, qui dat vitam, nostros liberos ipsi notos, nobis nondum viuos, conseruet sua bonitate; filius Dei, qui iam fouet ipsos in suam Ecclesiam et ad fontem illum salutarem, eos educat sua dextra in hanc lucem faciatque, vt sint nobiscum membra Ecclesiae sempiterna. E Francofurto iam nihil accepi noui, quamuis tomum Riui nostri primum expectarem.⁴⁾ Oporinus ad me misit Venantium Fortunatum et Elpidium Rusticum et Tertulliani carmen imperfectum contra Martionem. Quidquid legere potero, hoc edam cum caeteris poetis Christianis. Virum doctissimum Neandrum, amicum nostrum, plurimum saluta, item affines humanissimos Starckium et Morticium. Aliena manu scribo propter grauedinem oculorum. Tu quoque in laboribus tuis multiplicibus, quantum potes, parce valetudini. Vale feliciter. Misena e ludo illustri V. Cal. Maii, MDLXII. Georgius Fabricius.

Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis ac literarum in vrbe imperiali Northusa, fratri suo germano cariss(im)o. (Cod. ep. 198.)

6. Iun. 1562.] **83.**¹⁾ S. D. Cum raras a te accipiam, hunc nuncium ciuem nostrum sine literis meis venire ad te nolui. Inter Theologos noua subinde dissidia oriuntur,²⁾ quia multi non quaerunt nec quaesierunt, quae Dei sunt, sed quae sua. Recentiorum scripta non lego, contentus bibliis et interprete Luthero. Scire iam desidero de Iacobo nostro, a quo decimum

81. 1) sacra modo edita.

2) res mihi obscura.

82. 1) Epistola praeter inscriptionem aliena manu exarata.

2) ceterum ignoto.

3) Ad Siberi libri V Psalterii s. Carminum Davidicorum (metro elegiaco transcriptorum) Basileae ex officina Ioan. Oporini m. Martio 1562 prodierant. V. Schumacher Vit. Sib. p. 200, 205 sqq.

4) Fabricius Riuii opera duobus tomis editurus erat; prodiit tamen solum prius, quod theologica continebat, cui uitam R. praemisera. Müller II p. 33.

83. 1) Haec epistola aliena manu exarata est. — Descripta extat etiam in Gothano cod. n. 212, unde edidit Baumgarten-Crusius Ep. ad Meurer. pag. 122. Quaedam ex ea ('Inter theologos — interprete Luthero') citauit etiam Schrebel p. 96 sq.

2) Cryptocaluinistica dicere uidetur.

iam mensem nihil literarum accepi: tota nunc Gallia ardet incendio, et contentiones agitatae componentur armis, malo videlicet medio Ecclesiae et politiae. Antonius Borbonius rex Navarrae propter dissensiones nostrorum ad pontificios se retulit: bellum triste et calamitosum futurum est, in quamcunque partem cadet. Credo Germanos discessuros, ideo Iacobi aduentum etiam expecto. Tua vxor num pepererit et quid pepererit, ad me scribe: mea mense Iulio Dei benedictionem expectat. De Neandro nostro, vt valeat, quid in manibus habeat, quos labores breui prolaturus sit, diu nihil scripsisti. Velim autem hunc hominem sine literis ne dimittas. Starckium et Morticium nomine meo saluta. Vicinus tuus Spangebergius bonum librum scripsit Von der bösen sieben³⁾, qui si adderet de canonicis ociosis Von dem faulen Frizen, qui nunc et in papatu et in Ecclesia deuorant et regna et scholas summa securitate et contemptu, pulchrum profecto opus ederet, ipsorum templis et lustris, hoc est hara xai ἀρχὴ dignum. Vale feliciter. Misena, e ludo illustri die VI. Iunii MDLXII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio g[ubernanti studia] pietatis et literarum [in ludo Nor]thus[ano].
(Cod. ep. 199.)

84. S. D. Heri tibi respondi cum ciue Northusano, hodie tuas Rostius misit. [16. Iul. (1562)] Labores alterius prouinciae¹⁾ tibi diminutos vellem aut vellem tuos sapere, vt aut vno leuarent aut de altero certiore te facerent. De consilio meo scripsi ad te fraterne, neque aliter decet nos facere. Calumnias nemo moretur neque vitet pericula, dum Christi, sui Domini, vindicet nomen atque gloriam. Optarem tecum loqui, quod si excurrero, in Turingiam te ad me vocabo. Schultesius²⁾ rediit ad suum nobilem, quod non improbo. Videbo vt Trepta viuat Lipsiae et sit sub Strasburgo, nostri studiosiss(im)o. Mea poemata tibi placere gaudeo: dedi aliquot Strasburgo exemplaria, etiam Syntaxis Graecae, quae etiam cum D. Neandro communices. Vxorem tuam grauidam laborare tumore doleo et tecum cum mea precor, vt vobis bene sit. Mactatum Christum interpone Lachrymanti et Triumphanti. Elegias de morte Fusii³⁾ addidi. Historia⁴⁾ me macerat, affligit, turbat: nemo me iuuat, omnes persequuntur. Sed quod iubet magistratus, etiam Deus praecipit: argumento ipse delector et pergo. Treptam sine literis Iacobi venisse non possum credere: eae vbi vagantur, nescio. Te, tuam coniugem, filiolum, tuos omnes Deo commendo. Salutant te vxor mea, annunt Georgius et Iacobus, filii mei. Vale mi frater, et reliqua Bibliorum mitte. Libellum tuae vxori a Iacobe donatum non inuenio. Misena XVI. Iulii. Has literas dedi Isaaco Fusio,⁵⁾ qui promisit se ad te missurum. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi gubernanti studia pietatis et literarum in ludo Northusano, fratri suo cariss(im)o. (Cod. ep. 40.)

85. S. D.¹⁾ Originum partem²⁾ tibi splendidam videri vehementer gaudeo; quod si [1. Oct. 1562.] inuehendum esset in tempora: ea semper pessima fuerunt, et narratio mea non esset futura historia sed satyra. Pontificatus enim noua res non est, qui quidem verbis recte exagitur, sed magis fugiendus est moribus, hoc est hypocrisi, diffidentia, auaritia, ambitione, superbia, quae qui in sinu gerunt et in studio habent, vt nunc sunt plurimi, ii repraehensores sunt ridiculi et magis damnandi, quam ipse pontifex est. Tuus autem zelus, qui doctrinae est et sapientiae, a quorundam longe est alienissimus. Scripti tui partem, cuius mentionem facis, videre libenter cupio. Mitto tibi cum Morticio nostro, quae ex amici bibliotheca mecum communicasti, et gratias tibi ingentes ago. Iacobum nostrum Louanii non mansurum, plane mihi persuadeo: scripsit Antuerpia ad Strasburgum, inde etiam ad Blasium, sed ad me nullas adhuc dedit. De vocatione Blasii³⁾ et salario nos scire, de domino et de loco nescire miraculo simile

3) Cyriacus Sp., filius Ioannis, uiri de restauranda fide apud Northusanos optime meriti coque ab eis etiam nunc laudati, tum pastor aulicus et decanus generalis Mansfeldae, qui multa de rebus theologicis et historiae conscripsit. Inscripsit illum libellum 'Wider die böse Sieben ins Teufels Karnöffelspiel' dicens Genneppium, Agricola, Staphylum etc. Fürstemann Kl. Schr. I p. 40. Tres eius ad Andream epistolae in cod. North. supersunt.

84. 1) V. I p. 2.

2) Iam a. 1560 de munere suo Rosslebiensi desperauerat, uid. ad 63, 1.

3) V. ep. 72, 7.

4) Originum Saxon. V. ad 40, 5.

5) Cum Iacobo Fabr. in Portam d. 6. Aug. 1544 receptus (Bittcher Alb. p. 6), adfinis Ad. Siberi (Schumacher p. 91).

85. 1) Praeter inscriptionem aliena manu exarata.

2) manu scriptam fratri miserat. uid. ad ep. 40, 5.

3) Bussuileram, ubi 'iuuentutis studia sub illustri et generoso Hanensi Comite rexit', Porta p. 6; a. 1577 uero denuo Argentoratum rediit, ut officinae typographicae praeeset.

est: et vides, quam ipse negligenter de suis rebus scribat et ideo nos angat desiderio. E Francofordia adhuc nihil accepimus, neque librorum neque literarum. Poetas veteres Ecclesiasticos, si fuerint excusi, a me accipies; vt autem excudantur hac hyeme, Oporino institi, quem scio esse occupatissimum. Valde me delectat et soceri et socrus tuae pietas, quam toties mihi praedicas literis tuis, et eo nomine gratias ago Deo, qui talibus te bonis cumulatum ampliauit; filiolum tuam infantem ab huncere sanatam gaudeo et Deum oro, vt in posterum te cum tuis omnibus seruet incolumem. Laboribus uideris fatigari nimis, quos vt aliquando minuas Deo tibi monstrante viam et occasionem, te vehementer pro amore fraterno rogo atque oro, primum, quia adaman-tini non sumus, deinde, vt te conserues vxori et liberis et ipsi Ecclesiae. Quamuis autem homo ad laborem ita, vti ad volandum auis (secundum interpretem latinum⁴) natus sit, tamen nemo cogitur aut iubetur vltra vires se macerare. Haec humanitas vera sunt, sed quos Deus impellit ad laborandum et qui in officio honesto non possunt esse segnes, pigri, desides, iis etiam animos, vires, longaeuitatem pro sua voluntate impertit: et tu mihi simili in negotio aliquando impertisti consilium. Vale feliciter. Calend. Octobr. Misena M. D. LXII. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Ecclesiae scholae Northusanae ministro, fratri suo carissimo.

(Cod. ep. 201.)

9. Mart. 1563.] 86. S. D.¹) Causam tuam egi de agro tuo, sed nihil peregi adhuc nec possem tibi certae spei esse nuncius. Qui meas tibi reddit, quid petat, ex ipsius scheda intelliges, quam iuste petat, nescio; quid tibi faciendum sit, tu videbis; quid in tua potestate sit, id scio: per eum tamen scribendi ad te nolui occasionem praetermittere. Comitum Reinsteniorum minister;²) a triginta annis mihi notus et supra, proxime hic salutauit, cui has literas dedissem, si Dresda ad me esset reuersus: is dixit se tecum contracturum amicitiam, quia in vicinia habitaret.³) Librum tuum Syntaxis Graecae iam remitto et a te peto, vt Homeri libros a me puero descriptos, cum commode potes, remittas, non quod magni momenti sint, sed quia diligentiae testimonia possunt esse meis. Iam quod scribam, nihil habeo praeterea, ego cum meis Dei beneficio recte valeo; vxor affinis nostri Treptae vndecimo die a puerperio placide obiit, liberos iam viuentes habet duodecim. Iacobi nostri aduentum expecto, quem te scio tamen citius posse resciscere habitantem prope Eblebios. Si externa scire cupis, ea varia sunt. Gliscunt bella in Saxonia, tota Gallia ardet, Polonicis et Liuonicis finibus imminet Moscouita, duces Ferrarienses frat[es mutuis] vulneribus coniderunt in conuiuio,⁴) Turca classem parat..... Deus faciat, vt tranquilla sit Ecclesia. Vale feliciter. Misena e ludo illustri VII. Idus Mart.⁵) MDLXIII. Georgius Fabricius.

Eximia pietati et eruditione Viro M. Andreae Fabricio ludi Northusani Rectori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 207.)

1. Mai. 1563.] 87. S. D. In Palatinatu quid fiat, ignorare non potes; quid aliquando alibi futurum sit, diuinare facile est, quia omnibus licent omnia. Sed filius Dei omnipotens et verissimus sui testamenti dignitatem conseruabit apud eos, qui ipsum obseruant vero pectore et sincera fide. Filius meus natu minimus¹) obiit pr. Cal. Ian., cui tale posui epitaphium,

Gestauit teneris te sedula mater in ulnis,

Nunc manus excelsi te fouet alma Dei.

Vixit menses VII. Te cum tuis opto valere placidissime atque optime. Vxor affinis nostri secunda etiam obiit et post eam die octavo Ieremias filius, fui priore septimana domi et egi cum affine, vt nostrae sororis filiis singulis florenos quinquaginta curaret rescribi, filiabus sexaginta, quos aliquando praeter haereditatem prae caeteris haberent; nam sine coniuge rem administrare familiarem non poterit. Saram minimam natu filiam cum meis ego educabo liberis, quam statim mecum auexissem, nisi fuisset valetudine infirma. Iacobi fratris aduentum auide et sollicite expecto, quem nolo amplius vagari, cum Dei beneficio euaserit periculum. audiui ex Eblebio²) eum adhuc Louanii esse, sed cogitat eos reuocare. Tu quoque illis sis auctor, vt

⁴) In marg. ipsius manu ut ait Iobus (5, 7).

86. 1) Praeter inscriptionem aliena manu exarata.

2) mihi ignotus.

3) In parte septentrionali siluae Hercyniae Blankenburgi. (Caspar Ulricus Comes a Reinstein et Dominus in Blankenburg' rector fuit Vitenbergensis semestri hib. 1553/4. Förstemann p. 285.)

⁴) V. ep. 87. Ferrarienses errore pro Florentinis posuit.

5) Ipsius manu in mg.: Est dies natalis Georgii Treptae, qui nunc agit annum XXII.

87. 1) Blasius.

2) Ioanne, uid. ad ep. 37, 3.

sese huc conferat. Cosmas dux Florentinus³⁾ Garziam et Petrum habuit filios. Petrus natu maior et Cardinalis, Garzias aetate illo inferior. Hi duo cum simul venatum iuissent, feram quandam ceperunt; domum reuersi Cardinalis suos laudauit canes, suos item Garzias: inde contentione inter fratres orta minor natu alterum mendacii arguit. Cardinalis rapto de mensa cultello faciem Garziae vulnere deformauit, qui iracundia inflammatus pugione latus Cardinalis hausit et ex urbe equis expeditis fugit. Pater ministris mandata dedit, vt sicarium comprehenderent, quem in agro Pistoriensi assecuti interfecerunt. Eiusdem ducis filia paulo post in adulterio deprehensa a Claudio Vrsino marito interficitur. Mater dolore animi obiit. filia itidem altera Alfonso Ferrariensi⁴⁾ nupta veneno sublata perhibetur. Ita breui tempore tragici casus domum tyranni exhauserunt. Vale feliciter. Saluta D. Neandrum officiosissime: item Starecium et Morticium affines nostros. Misena Cal. Maii MDLXIII. Georgius Fabricius.

Viro opt(im)o M. Andreae Fabricio ludi Northusani Rectori fratri suo. (Cod. ep. 204.)

88.¹⁾ S. D. Hoc toto anno nihil mihi gratius accidit, quam aduentus Iacobi nostri, [7. Id. 1563. quem Sese benigniss. in tumultu Gallico et in freto Anglico conseruauit. Cogito illum retinere apud me, si possum impetrare ab aulicis, vt eum mihi ad tempus substituiam, donec confecero Origines Saxonicas, in quas totus nunc incumbo, non sine delectatione propter viros ampliss. et memoria sempiterna dignos. Pacanas Angelicos absolui et rudem iam depono in illo genere literarum, tanquam gladiator ille positus Veianus armis²⁾. Persuade Iacobo, ad nos vt maturet iter, quem multis modis desidero. Filium Iacobum, qui intra dies decem nihil comedit, postea diebus duobus nihil bibit, caloribus aestuauit semper, vrinam non misit, loqui non potuit, ad quod morbus ictericius accessit, Deus clemens et omnipotens mihi restituit. Neandrum nostrum nollem repetere ab Oporino Lucubrationes suas;³⁾ causam aliis ostendi literis, quas dedi duobus Lubeccensibus mihi a Chytraeo⁴⁾ commendatis; et tu siquid vales apud amicum, dissuade illi hoc propositum. Equidem cum Oporino hactenus sic egi et adhuc ago, vt suo commodo statuatur de libris meis; nam siquis liber aut Genium non habet, vt ille nominat, aut fastidio hominum non distrahitur aut vtilitate non patente intra praela quodammodo extinguitur, typographus poenas luit aut fortunae aut alienae culpa, auctor eas non sentit; et certe ad inopiam redactus est sua facilitate Oporinus. Quod si iam nobis in omnibus non gratificatur, nostrum est non incommodare viro de studiis optime merito. Hoc vrgeo apud te, vt tu amicum nostrum vrgeas, quia vellem excitari posse Oporinum ad opus magnum excudendum, quod nunc Neander habet prae manibus; id enim meo vaticinio nemo nunc excedet tam variis bellis, tam periculosis temporibus, tam dissipatis Academiis et Ecclesiis, tam inter se pugnantibus doctis, nisi Oporinus suscipiat sumptus, laborem, operam, euentum. Nosti editum Forum Romanum, quo ego meliorem librum non noui in isto interpretandi genere neque magis distinctum, sed Calepinus ad se trahit hospites et negotiatores, quos etsi accusat Frobenius⁵⁾, non auditur, quamuis uir facundus sit et auctoritate eminens. Sed haec nimis prolixo, quia doleo distractionem inter hos viros. Quod iam quieti incipis consulere, mi frater, bene facis et te fecisse initio maluissem, quia vtrique muneri uidi te parem esse diu non posse: audi socerum tuum, virum opt. et grauiss. Ego quid cum Iacobo locuturus sim, postea rescisces. De vinea frustra agimus, et qui nunc libertate fruuntur aliqua, eam non retinebunt, si perficiuntur ea, quae nunc sunt multorum gemitu instituta. Commendo te et tuam familiam Deo et sum tui cotidie memor in precibus. Iacobum ne

3) Quae hic narrat F. de casu tragico domus Cosimi Medicei (1537—1574), tum uulgo narrabantur sed maximam partem ficta sunt; etiam in nomine Petri erratum est, nam uere Ioannis utebatur.

4) Dicitur Alphonsum II Estensem (1559—1597), cui prima uxor Lucretia fuit.

88. 1) Praeter inscriptionem aliena manu exarata.

2) Horat. ep. I. 1, 4 sq. — Pacanum Ang. sunt libri III, inscripti Ioanni et Sigismundo Ioannis Alberti Ducis Megalburgiorum filiis, postea Poematis sacris inserti.

3) Fortasse Theologiam Megalandri Lutheri, quam a. 1564 Vitenbergae edidit.

4) David Ch. (Kochhaff) Suebus (1531—1600), tum professor theologiae Rostochiensis, postea multum

in rebus ecclesiasticis constituendis uersatus. Epist. eius ad Fabr. apud Schreberum p. 302. 268 (de fratre Nathano philologo qui post professuram Rostochiensem a. 1567 per multos menses G. F. institutione usus est). A. D. B. IV p. 254—256.

5) Officinae clarissimae Basileensi post Ioannis, qui a. 1491 condiderat, mortem (1527) tum praecerat Hieronymus filius. De Calepino nihil repperi neque 'Forum Romanum' in indice librorum ab Oporino excusorum (Vitae selectae p. 601 sqq., nisi F. dixit 'Romae urbis situm'). Ceterum rem familiarem Oporini maxime turbatam esse constat luxuria unius ex uxoribus (Frobeniae), Kapp Gesch. d. deutschen Buchhandels p. 122 sqq.

detine, vt ad nos aduolet. Tuam vxorem et liberos Deus seruet incolumes: vxor mea sextum iam est grauida. Salutant te omnes amici. Vale feliciter. Misena e ludo illustri die VII. Iulii MDLXIII. Georgius Fabricius.

D. Andreae Fabricio Chemnicensi, inclita Northusa gubernanti [studi]a puerilia, fratri suo [germ]ano carissimo. (Cod. ep. 202.)

23. Dec. 1563.] 89. S. D. Antonio Vuertero dedi ad te literas meas et adiunxi historias¹⁾ et ei feci potestatem scindendi filum et eas legendi, quas te iam accepisse coniicio. Iacobum cogitat nescio quare morari et apud se retinere, quod fieri nollem. Tu nuncia ei, vt susceptum iter maturet et, si se soluerit Eblebia, de sua aliqua libertate cogitet. Orabimus Deum, vt de certa ei aliquando conditione prospiciat in his terris vel certe non in remotis. Sat fecit peregrinationibus et Dei opem vidit praesentem. Dixit mihi hic nuncius de Neandri nostri occupationibus, quod et oconomum agat et doctorem: magnum vtrunque munus. Putabam altero eum solum et liberatum. Si Iacobus noster te conueniet ante discessum, omnes ei tuas cogitationes committe. Affinis noster D. Sebastianus²⁾ num restitutus sit valetudini pristinae, nobis scribe, vt Deo gratias cum ipso agamus. Vale feliciter. Subito, domi meae. XXIII. Decemb. MDLXIII. Annum felicem precamur et prosperum tibi, vxori et liberis: ego, vxor et mei Georgius, Iacobus. Georgius Fabricius.

M. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum in inclita Northusa, suo fratri carissimo. (Cod. ep. 203.)

5. Mart. 1564.] 90. S. D. Institutum Georgii nostri vehementer probo, si modo a D. Neandro potest impetrari, quod tua auctoritate fieri posse spero. Dolendum est professorum esse inopiam, vbi stipendia dantur nemine fungente serio suo officio. Quae me admones, frater optime, in Historiis meis mihi sunt gratissima, et eadem tuis paene verbis inserui; quamobrem saepius id facias velim, etiam impresso libello, qui nunc a me absolutus est et Aprili mense dabitur Voegelino,¹⁾ inscriptus D. Christiano, nostri Electoris natu minimo filio. Blasius obscure scripsit de suo Comite²⁾ et cuiusdam Iurisconsulti filio voluit inscribi: ideo institutum mutaui et, cum iam latinam linguam discat ipse Elector, notum ei libellum meum esse cupio. Caelum ardens hic etiam visum, sed specie, ac tu scribis, minus terribili. Mensis autem Ianuarii die XXIII. circa Aldenburgum equites et curus militares in aëre conspecti quasi agminatim incedentes, idque ante solis exortum. Equites hastas gestarunt et ita acriter conflagere visi sunt, quasi sanguis e nube illa caderet. Tales conciones poenitentiae de caelo fulgentes non sunt negligendae. Velim in proximis literis aliquid scribas de Morticio et affine nostro Starckio, vt valeant. Vxori tuae grauidae partum facilem et optatum a Deo impetrabimus. Saluta D. Neandrum. Oporinus in excudendis poetis Christianis lentus paene nimium est. Vxor mea, Georgius, Iacobus, Henricus filii tuos omnes salutant. Vale frater carissime. Misena e ludo illustri, die V. Martii MDLXIII. Georgius.

D. Andreae Fabricio Chemnicensi, gubernanti studia pietatis et literarum in inclita Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 211.)

5. Apr. 1564.] 91. S. D. Literas tuas, quas Dobelam misisti, non accepi: tibi leuatam oneris et laborum partem valde gaudeo¹⁾ et Deum precor, vt tibi adsit spiritu suo sancto in munere sancto, vt multos colligas in Ecclesiam filii Dei; Domini nostri Iesu Christi, Iacobus respondit tibi,²⁾ quem non potui a me dimittere. De tuis admonitionibus gratias tibi ago et quaedam pro instituta breuitate in meis narrationibus mutabo. Thesaurus ille tam copiosus, tam diues et abundans, vt non exauriri possit, et ego volui quibus potui pro mea tenuitate consulere, pueris videlicet: alii maioribus opibus et donis instructi aliquando vberiora proferent. Historias coniunxi verae et falsae Ecclesiae, quia scriptura coniunxit et quia ecclesia vera in imperiis hospitium habet, rursus secutus scripturam etiam reges et imperatores externos con-

89. 1) *Virorum illustrium seu Historiae sacrae libros IX*, quos d. 2. Febr. 1564 ad Christianum principem Electoralen misit, ad fratrem igitur tum manu scriptam. A. 1570 librum X addidit. Müller II p. 44. V. ep. 90.

2) Starckius.

90. 1) Ernestus V. typographus Lipsiensis etiam

alia F. opera excudit. — Christianus n. 1560 postea patri successit a. 1588(—1591). V. ad 89, 1.

2) V. ad ep. 85, 3.

91. 1) V. I p. 2 ad h. a.

2) Iacobus frater tum Georgio in componendis originibus Saxonici aderat, uid. G. F. epistolam ad Electorem VI id. Iun. a. 1565, apud Flathium in progr. Afr. a. 1880 p. 2 et supra ep. 88.

iungendos putavi.³⁾ De immunitate vineae, etiamsi decem Neuii⁴⁾ intercedant, nihil impetrabis: causam ex aliis malo te audire. cur autem vestrates tam tenuiter alunt suos ministros? quod aliquoties conquestus es. Quod a me petis, dare iam nequeo, sed ne frustra petieris, curabo. Deus tibi conseruet diu valetudinem. Vale feliciter. Misena Non. Aprilib. Salutant te filii mei et vxor et tuam domum omnem. Vale denuo MDLXIII. Georgius.

Venerabili viro M. Andreae Fabricio ad D. Petrum Pastori in urbe imperiali Northusa, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 210.)

92. S. D. Deo aeterno gratias tecum ago, frater optime, qui et caelum suum [11. Iul. 1564.] auxit haerede et tuam familiam filiolo: gaudent tecum vxor mea et mei filii, quos vellem cum tuis aliquando colludere et colloqui. Faciat Deus benignus, vt sint et mancant membra ecclesiae, vt fiant aliquando successores nostri in eo munere, in quos nos voluit Der arme Goldschmidin fone, viuere et vigere pater caelestis. Scripsi nuper epistolam *νεμεσητιζήν*¹⁾ ad affinem nostrum Starekium tui causa; et profecto dolui te onerari laboribus, quos si sponte subis, requiro iudicium tuum; sin tibi imponi pateris, Labanes adiuuas, ministerium deformas, cum alioquin iam mundus fiat ferreus in benefaciendo dignis, iampridem luteus sit in honorandis piis. Significaui quaedam viro praestanti D. Conrado Fabro²⁾ et dixi (vtar verbis quae dixi) me practicare, vt te auellam ab hominibus tenacibus et ingratis, quod ille ita accepit, vt diceret non esse hostem, qui admoneat; se curaturum, vt nequid tibi deesset, neque vt alienis oneribus premere. Oro te autem vt te serues Ecclesiae, in qua multi praedicant tuam fidem, pro quo beneficio Deo agas gratias tecum cotidie, vt te serues vxori optimaee et Vrsulae filiulae et tuo Theodosiolo et Ionulae, qui etiam tuo nomine manus et ora infantia tollunt ad Deum patrem. Non est parua tentatio hostis nostri, vt nobis vitae taedium faciat et nos velit laboribus occidere et quasi nostri labores sint *εἶδωλα*, eam curam iniicere, quasi nos simus, qui laboremus. non possum laborem vituperare, quem Deus praecipit, sed hoc telum noui, et me de eo admonuit vir Dei, senex afflictiss. noster Vuellerus; et melius sentio, quid dicam, quam scribere possim, quid te admoneam. Hostis certe sum otii et ignauiae, sed odi diabolium labores magni facientem, qui pios sudores non amat. Expende per te, quid dicam, et me fer, qui haec effundam: cur enim tibi fratri meam non exponam sententiam? cum etiam mihi tua tuorumque cura et sollicitudo a Deo et natura sit commissa. Illustrium virorum libellum tibi et viro opt(im)o Neandro placere mihi quoque placet. vellem, si optare auderem, suis discipulis Neander diligentiss. eum vertendum daret et sibi emendandum susciperet. transferetur in Germanicam quoque linguam, sed illa breuitas non erit popularis. Poetas Christianos habere sua errata vicium temporum est, sed partes symboli totius ab iis tractatas vberius et copiosius, quam adhuc a nostris, quod sciam, poetis tractatae sint, tu ipse admirabere. Cum breui leges duos libros sententiarum e veteribus et nouem e recentibus, quos amicus quidam meus e viginti poetis Italis, Gallis, Germanicis collegit.³⁾ salutem opto tuis omnibus et te Deo commendo. Misena XI. Iulii, anno Christi MDLXIII. Georgius.

Viro venerabili pietate et doctrina D. Andreae Fabricio in Ecclesia Diui Petri Northusana pastori, fratri suo colendo. (Cod. ep. 227.)

93. S. D. Optime frater. Accepi nuper literas tuas paene acerbis, sed meam [23. Iul. 1564.] sententiam ad te non scripsit Starekius, qui non scripsi te auctorem esse, vt expellatur vir bonus et bene meritis. cur enim hoc scriberem? sed volui consulere tibi ex tuis literis, vt non alieni tibi labores imponerentur aliorum duricia, tua nimia simplicitate aut bonitate. quod si ad tempus subires collegae munus, faceres, quod ego quoque nunc facio absente D. Iobo;¹⁾ sed si tibi et pastori et diaconi seu concionatoris simul esset suscipiendum onus et ferendum, qui possem tibi suadere aut tuum consilium probare? cum in officio pastori non possis esse otiosus et illa Resp. habeat, vt possit alere collegam tibi. Si peccaui, ignosce amori fraterno, nam tuae literae me excitarunt; sin aliud habes rectius, aut ego te non intellexi, ut

3) V. ad ep. 89, 1.

4) De Nacuiis uid. ad ep. 96, 1.

92. 1) *νεμεσητιζήν* Autogr.

2) De hoc nihil repperi.

3) Fabricii *'Antiquae scholae Christianae libri II'* (i. e. loci communes e poetis christianis collecti) apud

Oporinum a. 1565 coniuncti prodierunt cum Thomae Fabri (uid. ad ep. 53, 1) *'Nouae scholae Christianae puerilis libris IX'*

93. 1) Magdeburgo. — Andreas igitur pastor factus etiam infirmi diaconi munere simul functurus esse uidebatur.

me Starckius non intellexit, vtere meliore consilio. Modo retineamus fidem et bonam conscientiam et amorem fraternum et libertatem inter nos debitam. Vellem te soceri consilio vti, vt senioris et patris, quem potes conuenire; meum etiam tibi impertirem commodius, si propius habitarem, et mihi credas velim me de te non esse parum sollicitum. Ioannes a Maxen,²⁾ qui nunc aegrotam hic vxorem habet, mihi optata de te locutus est; sed cum illi dicerem te annos duodecim me minorem esse, non potui persuadere. Vale, mi frater, et tui etiam rationem habe propter pusillos, qua pietate non offendis Deum; proximae literae meae etiam fuerunt παρηγοιαί, et plures tales scribam, etiamsi eas te viderem abiicere. Vale feliciter. Saluto tuam puerperam et ecclesiolam paruulorum et me tuis commendo precibus. Misena die XXIII. Iulii MDLXIII. Georgius.

Viro venerabili pietate et doctrina M. Andreae Fabricio pastori Northusa ad diuum Petrum, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 233.)

21. Aug. 1564.] 94. S. D. Optime frater, te cum tua familia recte valere valde gaudeo et deum oro cotidie, ut hoc gaudium sit diuturnum nobis; caetera de statu nostro cognoscas ex affine Sebastiano,¹⁾ cum quo mihi iucundi sermones fuerunt. Vellem nobis inter nos etiam colloquendi ad satietatem facultatem aliquando dari, quod spero posse fieri volente Deo. Si Mylius²⁾ vir doctiss. vertet Illustres viros, aliis etiam gratum faciet et adolescentes iuuabit in lingua vtraque cognoscenda. quid Neander scire me velit, scire cupio. Misit ad me suorum auditorum exercitationes sine litteris, quos video carminum argumenta sumpsisse ex libello meo,³⁾ sed rectius sumerent e fontibus, quia breuitati isti cur studerem, multae mihi causae fuerunt. Nam idem argumentum ante me inchoauit Georgius Cassander,⁴⁾ sed prolixior visus est. liber impressus Coloniae ante annos tredecim est. Addam in secunda editione descriptiones etiam e poetis Christianis, quaecunque insunt, ad nostrum institutum pertinentes, ut pueri audius legant et imbibant.⁵⁾ Iam commentariolos meditatus sum in tres paeanas Prudentii, Sedulii, Fortunati, in quibus ortus, miracula, mors et ascensio, hoc est tota vita Christi breuiter et elegantissime describitur.⁶⁾ Te cum tuis omnibus cupio saluere et salutem meorum nomine exopto. Vale feliciter. Misena, die XXI. Aug. MDLXIII. Georgius Fabricius.

D. Neandro salutem infinitam opto.

Viro venerabili, pietate et doctrina D. Andreae Fabricio, ecclesiae d. Petri apud Northusam imperialem pastori, fratri suo colendo. (Cod. ep. 214.)

20. Dec. 1564.] 95. S. D. Optime frater. Panni Anglici et Belgici vere nunc sunt panni, unde etiam pannosos posses dicere; nam et viles fiunt, et crescit eorum ingens precium. Ideo nostratis mittam in vestem tibi atque vxori. quem nuncius si portare potuisset, ei imposuissim: manda certo homini vestrati, qui eum Lipsiae poscat, in nouo foro, hospitio Aureae crucis. nam quaestor ludi illustris in eo diuertit. Hoc munusculum boni consule. Deus omnipotens te in eo munere, cui te destinauit, conseruet saluum et valentem contra venenatum Satanae improbi halitum, vt diu praesit Ecclesiae et tuis liberis et vt ambules tuto contra aspidem et basiliscum. Tauleri¹⁾ hic nihil inuenio, in quo sententiae aliquot piae, et in multis sermonibus vix vna: caetera papisticis nugis plenissima, nam Argentorati, vbi sepultus est, scripta eius inspexi. Vellem inuenirem alibi. non te eius scriptis priuarem, et fortasse de aliis loquitur D. Lutherus, quam quae ego vidi. Argumentorum quae meis proposui, copia non est: puerilia distichorum habeo, qualia tibi misi Vuitebergam, sed ero posthac in meis diligentior. haec si desideras, eorum libellum mittam. Hac hieme prodibunt libelli mei VIII. De re poetica, hoc

2) A Valent. Koenigio (Genealog. Adels-Histor. II 704) unus Ioa. a M. ex eo tempore nominatur, qui a. 1557 praefectus Gorliciensis fuit, certe hic cognatus fuit Hugonis a Maxem Lusatii, qui a. 1569 in domo Fabr. mortuus est. G. F. Annal. Misn. p. 231.

94. 1) Starckio.

2) fort. Andreas (mai.), qui postea corrector, tum diaconus ad S. Petri factus est. Förstemann Mitth. p. 58. Ut Illustres uiri a discipulis uerterentur, ipse F. suaserat (ep. 92). V. etiam Schreber p. 149. Carmen G. F. nuptiale in Poem. sacr. I p. 450 sq.

3) ex eisdem Illustribus uiris, cf. ep. 92.

4) Bruggensis, ab a. 1544 Coloniensis, theologus. V. Eennen A. D. B. IV p. 59—61, titulos librorum De uiris ill. ap. Föcher I col. 1729.

5) A. 1570 adiecit librum decimum, quem ad Augustum Electoris filium misit.

6) In Paeanas tres Prudentii, Sedulii, Fortunati de uita et morte Christi expositio' primum prodierat a. 1560 Lipsiae, ut dicunt Schreber p. 227 et Müller II p. 37, at epistula nuncupatoria edit. a. 1565, quam primam uidi, a. 1565 data est.

95. 1) Ioannis F. Argentoratensis, 'doctoris illuminati', mystici illius celeberrimi (1290—1361) sermones diligenter Lutherum tractasse satis constat.

est priores illi auctiores.²⁾ Commentatus sum in tres Paeanes de Christo, Prudentii, Sedulii, Fortunati: quibus additus libellus Heroicōn iambico carmine a me scriptus.³⁾ Nos hic valemus adhuc omnes: pestis, quae remiserat, hoc mense alias domos invasit. Deus te suorum Angelorum manu tegat et tuam familiam. Vale feliciter. E ludo illustri Miseno XX. Decembris, anno MDLXIII. Georgius.

Viro venerabili pietate et doctrina D. Andreae Fabricio ad diuum Petrum Northusae pastori, fratri suo cariss(im)o. (Cod. ep. 234.)

96. S. D. Optime frater, panni nostratis ad te mitto vlnas viginti quinque in [1. Ian. 1565. vestem tibi atque vxori tuae, qui omnino paratus est, vt saltem ad sartorem deferatur. Deum precor, vt totus hic annus venturus tibi tuaeque familiae omni et inprimis Ecclesiae sit felix atque tranquillus. In visitandis aegrotis facies ita officium tuum, vt diu possis facere; experiuntur hic nostri ministri aliquorum improbitatem, qui cum sani contemnant Ecclesiam et sacramenta, cum ad agone perueniunt, assensu ministrorum sibi volunt demum consulere. Sed non dubito senatum vestrum et ipsam ecclesiam providere et pastoribus suis et ciuibus. Nos pro te, vt debemus, solliciti precibus tibi cotidianis assumus. D. Neandri negotium puto confectum e sententia, fide et bonitate viri praestantis D. Iohannis Naeui,¹⁾ maximi studiorum patroni. Vellem ei aliquid dedicari a D. Neandro, quod tu facile ab ipso impetrabis: alit studiosos in Academia tres, idque stipendium est perpetuum, singulis annuatim numerat florenos quadraginta, in patria auxit reditus nosocomii, priuatim benefacit multis. Pastori nostro D. Alexio Praetorio²⁾ quinquaginta florenos debiti remisit, pro quo ego sponderam; post eius mortem haeredes pauperes soluere non poterant: igitur et defuncto et mihi remisit. Trepta noster eius stipendio vtitur iam quinquennium. Haec mihi nota sunt, ideo dignus praedicatione bonorum, nam fortasse minimam partem eius beneficiorum scio, cum ipse sciri nolit e praecepto Christi.³⁾ Alii scire et inquirere debent, vt commendent et imitentur. Mitto nunc etiam nonnihil pecuniolae ad Blasium, quem spero et opto adhuc viuere, quem vt tu quoque consoleris, a te vehementer opto. Poemata mea sacra creuerunt in libros XXIII, quos nundinis vernis proximis ad Oporinum mittam, et rudem postea deponam. Vale mi frater, et D. Neandrum meo nomine plurimum saluta. Vale denuo Cal. Ian. anni nati Christi MDLXV. Georgius.

Viro venerabili, M. Andreae Fabricio ad diuum Petrum Northusae pastori, fratri suo colendo. (Cod. ep. 242.)

97. S. D. Dei aeterni filius, Rex et Redemptor noster, a te ministro suo totaque [18. Oct. 1566. tua familia et ab Ecclesia quoque sua auertat flatum et halitum lethalem Satanae percussoris, vt ipsius nomen fiat celebre. quanquam ea instare mala videntur, vt fortasse gaudendum iis sit, qui ante eorum aduentum atque horrorem de vita hac transferantur in meliorem. Ego his diebus solito meo morbo laboro et minorem natu filiam febre tertiana habeo laborantem, quae superioribus mensibus Aprili et Maio omnes meos afflixit filios. Pestis vnam quoque domum in vrbe hac inuasit, duas in suburbio e regione Pontis. De Gideone¹⁾ grauante audiui et doleo pueri nomine. Patria nostra nondum habet concionatorem alium: vellem Tetelbachius amicos audiuisset et sibi non accersiuisset, quod ad eum venturum erat; sed difficile est nunc suadere. fuit ei nihil iniunctum, quod antea non fuisset liberum, et si expectauisset, potuisset et Ecclesiae

2) Primum prodierunt quattuor libri a. 1560 (quos quidem etiam Oporinus a. 1564 cum aliis operibus coniunctos edidit sub titulo 'Scholae Fabricianae puerilis libri XI'). postea tribus libris auxil (Schreber p. 170 sq.), quorum ultimum a. 1565 Georgio Sellae inscripsit. Quod tamen in editionibus VII, hic VIII libri numerantur, cum in hac edit. sextum librum 'De uirtutibus et uiciis carminis Elegiaci et catholica Horatii de arte poetica' insereret, 'Elegantias Poeticas ex Ouidio, Tibullo, Propertio', quae antea in quibusdam libris secundum effecerant, sepositas denuo proprio libro publici iuris fecit; primum enim has Elegantias a. 1552 ad Georgium Treptam miseral.

3) Primum e fratris Georgii bibliotheca edidit et Alberto, Nicolai Eblebii filio a. 1565 inscripsit Iacobus Fabr., tum Poematis sacris Georg. inseruit.

96. 1) I. N. (1499—1574) Chemniciensis, Mauricio et Augusto Electoribus medicus praecipuus et in aula gratiosissimus, patronus liberalissimus omnium uirorum doctorum; maior frater Caspar erat item medicus Electorum et professor Lipsiensis; utrique G. F. libros quosdam inscripsit. — De Neandri negotio uid. ad ep. 70, 4.

2) Pr. (Schulz) Silesius (n. 1524) gener Riuii, 1549 archidiaconus, 1560 pastor in urbe Misnia, 1561 item ephorus, pastor cathedr. et consistorii assessor, † 14. Oct. 1563. Kreyssig Mitt. I 5, 43; 39. Carmen nupt. G. F. in Poem. sac. I p. 419 sqq. Epitaph. II p. 371. Eius elogium Fabricii in annal. Misn. p. 219.

3) Euang. Matth. 6, 3.

97. 1) Trepta.

suae praeesse et suis. quam causam libentius tecum loquerer coram.²⁾ Sittardus monachus imperatoris,³⁾ incidit in melancholiam, vt ipsi scribunt, in phrenitida, vt ego interpretor. Talia intra anni spacium exempla multa vidit imperator. In Belgio excluditur inquisitio nec minus in Hispania; ita omnia regna nunc mouentur et colliduntur inter se, vt breui sit expectandus Domini nostri aduentus iuxta ipsius vaticinium. Historiis sacris adhuc vnum libellum addam, Regum Asmoneorum et Idumaeorum vsque ad vrbis sacrae deuastationem. Euulgabunt Antuerpienses nundinis proximis Ouidium, quem Victor Giselinus mihi inscripsit.⁴⁾ meas in eundem castigationes, quas vidisse te scio, amisi: vellem te cogitare posse, quis tum circum me fuerit. erant *recantationes*, quia prolixae. quas si reciperem, intra semestre absoluerem, vt satis fieret votis amicorum, qui me certatim vrgent e Belgio. Haec de valetudine et studiis meis, frater optime. Te cum tua Ecclesia dei filio commendo. Neandro nostro interceptit Lycophronem Canterus.⁵⁾ Oporinus misit exemplum, sed Lipsia nondum est redditum. Vale, die Lucae Euangelistae, anno a Christo nato MDLXVI. Scribam Pastores, Elegiam Natalicium.⁶⁾ Georgius Fabricius.

Viro opt. D. Andreae Fabricio Northusiae ad diuum Petrum pastori, fratri suo colendo. (Cod. ep. 253.)

1567.] 98. S. D. Appellauit me hic vir, ne sine literis se dimitterem, et appellauit instando, ideo ei has dedi perbreues. Te cum tuis valere gaudeo et certamen etiam tuum habuisse exitum placidum.¹⁾ Responsum etiam tuum ad accusationes velim esse verum et constans, quis enim velit aliter aut agere, qui Christianus est, debeat aliter? Sed tamen *μη πληκτιζόν*. neque tu hoc accipias in aliam partem, quam a me dicitur. nihil detrahit de veritate modestia et verecundia, mihi crede. Deus suo spiritu nobis omnibus adsit, vt ipsi soli placeamus et ipsi soli grata faciamus. Quod instituisti de Ecclesia dome[stica] scri[bere], valde probo argumentum tuum idque confectum primo tempore cupio. Cupio quoque videre Neandri labores, quem vellem suo tomo primo²⁾ omnes adiciere poetas Christianos, quorum in omnibus bibliothecis est inopia, nec ego vllum nisi Iohannem Damascenum habeo: hortare illum, vt sua maturet et studiis consulat. Si patrum sententias colligit easque disponit, opus praeclarum meditatur;³⁾ nam aliqui id fecerunt sine ordine et superstitione et malefice, quia Papistis solis voluerunt placere: quod si fit ad doctrinam modo illuminatam comprobendam consensu vetustatis, quid potest esse vtilius? Treptae tuas literas misi, quia nuncius inde huc missus est: si quid expones Isaaci et Gideonis⁴⁾ nomine, curabo vt reddatur. non ille mouetur beneficiis, non terretur conuiciis: filios eius tres, filias duas educaui non paruo sumtu, gratia nulla; sed cum sororis incidit memoria, acquiesco. ipse *ἀνάνιος καὶ ἄστοργος*. Valere te cupio diu et feliciter cum tuis omnibus. Partitiones meas mittere non possum, quia non habeo; spero fore, vt recudantur copiosius. Vale. Misena. A nato Christo seruatore an. MDLVII. M.D.D.XVII. Georgius Fabricius.

Tuis commendo precibus vxorem meam grauidam et tres liberos *ἐξ ἀνδράσιν* vehementer laborantes et me ipsum non validum. Auunculum Fr. Pisonem mortuum scito, qui ne egeret, circa sedecim florenos exposui; antecessit illum vnica filia. Magos meos⁵⁾ mittere non potui, quia Lipsia nondum accepi.

Reuerendo viro, pietate et doctrina ornato D. Andreae Fabricio ad diuum Petrum pastori, fratri suo carissimo. (Cod. ep. 265.)

2) Tetelbach 16. Oct. eius anni cum Autumno ex controuersis synergisticis Chemnicio depulsus erat.

3) Matthias S. Aquisgranensis, Dominicanus, orator uehementissimus et sacerdos Imperatoris Ferdinandi I, † 1571.

4) Haec editio prodijt a. 1575 ex officina Chrstph. Plantini, in ea metamorphoseon libri 'ab Andr. Naugerio castigati et Vict. Gisellini scholiis illustrati'. V. G. (Gislain) Sandfortiensis (1543—1591), medicus idemque corrector officinae Plantini et cum G. F. familiaritate coniunctus. De amissis castigationibus suis Ouidii F. etiam aliis locis queritur. Schreber p. 209.

5) Gulielmus C. (1542—1575) Vlratraiectinus in edit. Ios. Scaligeri a. 1566 Basileensis 'ad uerbum' Lycophronem uertit (Scaliger carmine). V. ad ep. 71, 6. Duae epistolae Canteri ad F. Schreber p. 312 sq.

6) Dicit elegiam, qua pastores Dominum modo natum salutant, cuius argumenti hymnus ('De natiuitate Christi. Concio pastorum') in libro V extat (Poem. sacr. I p. 248 sq.). Ipsam elegiam non uidi.

98. 1) Pertinet ad controuersias, quibus a. inseq. Andreas munere se abdicare coactus est. V. s. I p. 2.

2) Operis aurei et scholastici, de quo uid. ad 72, 2.

3) 'Patrum theologorum graecorum sententiae graeco-latinae' catachesi Lutheri adnexae sunt. Meister Jahn. Jahrb. CXXVI p. 189.

4) Treptarum.

5) Carmen uidetur fuisse, quo Magi Christum modo natum adorant. Sic in Script. publice propos. Viteb. II (M. 5 a. 1555) extat Elegia Alb. Lenicaeri 'Allegoria munerum oblatoz a magis nato Christo-phoro Redemptori nostro'.

99. S. D. Non eges consolatione mi frater, cui tanta copia diuini consilii, vt [21. Dec. 1567. alios consolari noueris, imo vt celebratione nominis diuini tecum tuaque familia gaudeamus, par est, cuius etiam beneficii tibi tam periculoso tempore exhibiti nunquam obliuiscemur. Faciat aeternus pater per suum filium Dominum nostrum, vt diu cum tuis viuere et prodesse multis possis. Coepit hic morbus pestilens, sed et a schola et a nostris familiis halitum diaboli lethalem Deus suorum Angelorum praesidio auertit et percussorem condere gladium voluit; sunt tamen circiter quinquaginta quinque mensibus sublatis in nostro oppido. Deus, qui visitat nunc Germaniam peste, verendum est, ne mox eam bello obruat. Turcico Solimano ante Zigetham mortuo¹⁾ successit Zelimus filius, qui more gentis dicitur instaurare bellum, vt initio imperii facinus aliquod crudele edat in populum Christianum. Ioannem Funcium turbantem aulam Borussicam cum duobus secretariis ducis capitali supplicio affectum mandato Regis Polonici fortasse audiui²⁾. Mitto tibi et tuae vxori exigua munuscula; liberis tuis item vxor, quae circa Natalem Christi expectat Dei benedictionem. Laborarunt febre filii mei tres vno tempore, nuper etiam filiola, sed misericordiarum pater omnes mihi restituit. Ad historias sacras, cum recudentur, addam librum X. De regibus Asmoneorum et Idumaeorum vsque ad vrbs sacrae euersionem. Si otium tibi est, rogo, vt libros editos percurras et, si quid emendandum videbitur, eius me liberrime admoneas. Epitheta³⁾ etiam breui habebis correctiora. nunc Terentianae⁴⁾ et Plautinae elegantiae sub praelo sunt additis ad Mimos praeclaris sententiis. Habebis posthac nostra omnia. Is, qui longitudo est dierum nostrorum, seruet nos sanos mente ac corpore. Vale feliciter in Christo Iesu cum tuis omnibus. E ludo illustri Miseno, die brumalis solsticii MDLXVII. Georgius.

Carmen scripsi in natalem, quod excudetur Lipsiae, et nunc omnia mea poemata sacra recudet Oporinus.

Venerabili viro pietate et doctrina M. Andreae Fabricio ad diuum Petrum Northusiae pastori fratri suo colendo. (Cod. ep. 268.)

(GEORGII FABRICII AD BLASIVM FRATREM EPISTOLA.

100. S. Accepi Blasi tuas literas et Iacobi et potestate concessa mihi a vobis [1550.¹⁾ vtar, quam commodiss. et rectiss. potero. Tecum autem, quod ad migrandi consilium attinet, agam, vt soleo et vt debeo, vere ac fraterne. id enim nunquam probare potui. primum cum loco non mutatur ea, quae in animo est, molestia, deinde quod mihi fontes morbi tui aut ignorare aut certe considerare non videris. Hi enim cum a capite viciosae nostrae naturae promanet, et blandiuntur diu nobis et non facile coercentur, donec quasi abruptis aggeribus incautos nos praecipitant. Igitur si rem familiarem alio transtuleris, vt reliqua omittam incommoda, tempora certe eiusmodi iam sunt, vt ibi primum sit metuendum periculum, quo in loco esse tutissimus videaris. Verum adimam etiam de temporibus metum: quid si ex animo migratio non cedit? quid si spe frusteris melioris fortunae? Nihil hic respondebo ipse. sed humanae prudentiae, si prudentia nominanda est, humanum opponam consilium. meministi, vt opinor, eius admonitionis, qua Plautinus Eutyclus consulit hero suo, qui de mutanda patria, vt amore liberaretur, deliberabat: his enim verbis vtitur:²⁾

Quid tu ais? quid cum illuc, quo nunc ire paritas, veneris?
Si ibi amare forte occipias, atque item eius sit inopia,
Iam tu inde porro aufugies? deinde item illinc, si idem euenerit?
Quis modus tibi tandem exilio euenerit? quis finis fugae?
Quae patria aut domus tibi stabilis esse poterit? Dic mihi.
Cedo, si hac vrbe abis, amorem te hic relicturum putas?

Quorsum haec inquis? Vt intelligas, quod dixi, naturae viciosae proprium esse quaerere non legitima et vera remedia, sed ea potius quae alunt morbum, non sedant, augent dolores, non

99. 1) 5. Sept. 1566.

2) Ioa. F. (Funk n. 1518 Norimbergensis) propter testamentum Alberti ducis Prussiae et amicitiam Andreae Osiandri ordinibus, qui iudicium regis Polonici appellauerunt, inuisus cum consiliariis Horstio et Schnellio Regiomonti 28. Oct. 1566 securi percussus est. Möller A. D. B. VIII p. 197—199. V. ad ep. 32, 3.

3) Epitheta nominum propriorum et appellatiuo-

rum rei poeticae (uid. ad 95, 2) librum quartum et quintum (uel quintum et sextum) efficiunt.

4) Terentiana Autogr. — 'Elegantiae e Plauto et Terentio Libri II' primum prodierunt a. 1550 (Schreber p. 179); uid. ad 69, 4.

100. 1) Andreas Argentorati tum officinae typographicae praerat, cf. Schreber p. 15, Iacobus sub Sturmio litteris operam dabat.

2) Merc. 649—654 (III 4, 63—69).

minuunt, euertunt potius totum hominem, quam vt minima in parte subleuent. Quamobrem vt acquiescere animus tuus reuera possit, melioribus consultoribus vtamur contra diffidentiam et contra eum, qui vt veram lucem ne intueamur, offundit has nebulas cogitationum. Audi itaque, frater mi, Spiritum sanctum, eius viri verbis loquentem, qui vt oppressus pene aerumnis fuit, ita magno animo fiduciam de bonitate liberatoris Dei retinuit. Daudid³⁾ igitur inquit (vtar sermone nostro tanquam ἐνεργησιότητι) 'Bleib ym land, vnd nere dich redlich'. quod manere imperat, postulat constantiam vitae et actionum et requirit patientiam, atqui minime fugit, qui locum sibi aptiorem eligit, neque deserit Albim, qui Misena Vitebergam proficiscitur. Sed non temere effluxit vox altera, quae de ea, in quam collocauit te Deus, sede atque domo loquitur 'Im lande'. Te voluit praeter animi sententiam administrare rem familiarem Argentorati, me hic Misena praeesse doctrinae puerili. Iacobum tuo lateri, Andream meo esse coniunctum, vt nos spectatores essemus studiorum vtriusque. quis nostrum hoc cogitauit, cum tu et ego Beichlingo abiremus?⁴⁾ quem non risissemus qui hoc ante sexennium singulis vaticinatus esset? 'Nun Got lob, sein wir ym lande, Wir sein aber arme landhern'. Minime vero omnium miseri, si audimus spiritum Christi ampliora loquentem. 'Nere dich'. nonne de functione cuiusque sermo est? eam igitur orna et eius molestias perfer, honora obedientia tua filium Dei, institue familiam et ale, conscientiam proba patri caelesti, obserua magistratus, non metu, vt fures et improbi, non propter mensam, vt assentatores aulici, sed propter conscientiam, vt bene sit tibi. Qui autem credit huic dicto 'Bleib im land vnd nere dich redlich', committit se voluntati Dei neque destituetur consolatione neque sine successu versabitur in munere suo. nam qui manere iubet, etiam iuuare vult, vt possis, et flectet animum, vt velis atque vt prompte et libenter velis. nam per eundem Daudidem loquitur,⁵⁾ CVM IPSO SVM, enutrium eum, liberabo eum, eripiam eum. Quapropter si putamus, frater, cum loco mutari fortunam, cum caelo animum, erramus toto caelo et reipsa caelo erramus, nam Deum alienamus impatientia et ad omne munus reddimur segiores. Obfirma te itaque et tibi persuade meas et Andreae preces cum tuis cotidie coniunctas esse. Recordare praeterea beneficiorum Dei erga nos. vide qualis fuimus, qui simus: patrem amisimus pueri, Deus per alienos nos aluit (et quam benigne!) et in studiis atque Ecclesia sua aluit, quod omnia reliqua vincit beneficia. Matrem nuper adeo eripuit,⁶⁾ quae annos quindecim post obitum mariti, quam religiose, quam sollicite nos docuit ac vere vberibus fouit et multa bona precibus suis, quibus ardentissime dedita fuit, a Deo patre pupillorum et viduarum nobis impetrauit. Victus igitur tot muneribus et beneficiis Dei erige te et permitte illi consilia tua, non fuge necessarios labores, gubernare fideliter familiam, et IPSE FACIET.⁷⁾ Nec dubitabo polliceri tibi te et in posterum tranquillorem fore et multa curaturum in negotiis tuis diligentius et breui gratias acturum Deo, qui te suo spiritu per fidem et patientiam reddiderit doctiorem. Scripsi ad te in occupationibus, non accurata oratione, vt haec magis ex animo profecta credas. etc.⁸⁾

IACOBI FABRICII AD ANDREAM FRATREM DE GEORGII MORTE EPISTOLA.

10. Aug. 1571.] (101.) S. in Christo consolatore per spiritum suum. In ductu domestico viduae et inter solitudinem illam liberorum Georgii fratris p. m. . non effeci ea, quae volui, omnia de literis aliorum curavi recte. ab Electore bibliotheca claudi iussa fuerat,¹⁾ vt aditus mihi non esset. itaque iui Dresdam et Stolpenam et impetraui, vt admitterer et adiungerentur certi qui interessent. datum negotium Oeconomus est et M. Friderico Benzoldo²⁾ viro opt., qui seposuerunt eos libros, quos iudicabamus pertinere ad historiam Originum Saxonicarum, de quibus ager pro suo iudicio aula. reliquos libros domum suam vidua recepit omnes.³⁾ Iudicatus fuit a multis frater p. m. valde diues, quos ego antea refutaui verbis, nunc reipsa possem: pecuniae

3) Psalm. 37, 3.

4) D. 29. Sept. a. 1544 (Albinus, Gesch. d. Geschlechts von Werthern p. 51).

5) Psalm. 91, 15.

6) 5. Apr. 1548.

7) Psalm. 39, 10.

8) Duae partes folii abscissae sunt; etiam inscriptionis nihil aliud remansit nisi 'Argentorati'.

101. 1) Decreta Electoris de hac re ap. Flathe p. 434 sq.

2) Ioannes Michael tum oeconomus scholae fuit (1570—1588), Fr. Pensoldus Weidensis tertius collega Aframus (ab a. 1569), qui successit Fabricio in rectoratu (—1574). V. Kreyssig p. 629. 617.

3) Bibliothecae Fabricii magna pars (non tota, Archiv f. sächs. Gesch. XI p. 222 sq.) in (regiam) bibl. Dresdensensem delata est, ab Electore empt. Ebert Gesch. d. Kön. Bibl. p. 28. 207.

inuenimus summam exiguam. nosti enim salarium, nosti accessiones: illud fere totum consumebat in suis et in pauperibus, qui eum accedebant plurimi et vacui redibant nunquam. accessiones nisi ex paucis nullae aut perexignae. Faciendum igitur omnino fuit, vt quosdam precarer, haberent rationem miserae viduae et liberorum: promiserunt omnes, et spes est in illustrissimo Electore magna. omnes autem dignam esse iudicant et praedicant Fratris memoriam, cuius vxori et liberis subueniatur, tradenturque intra dies paucos literae supplices Electori, quibus beneficium aliquod perpetuum petetur. Deus faxit, vt liberalem orphanum sentiant aulam, praesertim cum hoc addatur in iis literis, quod tot annis et tali labore seruiert, tali etiam fide et fructu. Nihil enim omisit eorum, quae sibi erant commissa. itaque ludum diligentissime obibat; domi in studiis erat totus, quin etiam pridie quam moreretur in ludo pransus est et coenauit, eoque vespere ad suos reuersus pro more suo dictauit puero,⁴⁾ quod ipse manu vti non posset nisi cum difficultate maxima. in ea dictatione sensit aegritudinem: puerum depocere calamum iussit et deduci se ad lectum. quo cum venit, venit autem max. lassus, coepit magis magisque aegritudo augeri. Vocata vxor, amici, adsunt confestim: inprimis D. Caspar Theologus,⁵⁾ qui a latere fere non discedebat, et D. Christoforus Medicus.⁶⁾ colloquuntur de morbo, quem ingrauescere vident, et facit officium suum Theologus, quem attente audiuit, cui etiam respondit sana et fidelia, dictisque sacris omnibus firmiss(im)e assensus est. facit etiam quod in tali necessitate faciendum putauit Medicus: praetermissum nihil. circa nonam igitur horam vox coepit deficere, quod animaduertens D. Caspar monet, vt Christum suum respiciat, dicta eius teneat, merito se sustentet, et alia quae solent. quae omnia si credis, inquit, mi Fabrici et frater, da signum manu aut voce. ibi aperte et clare extremum hoc repetiuit verbum CREDO CREDO. neque post locutus est amplius. luctatus cum morte vsque ad matutinam secundam, post quam expirauit, dolore eis, qui astabant, fere etiam expirantibus. hoc factum die Veneris mane.⁷⁾ die sequenti amplum funus factum, accurrerunt omnes e vicinis et pagis et oppidis pastores, luctus fuit in ciuitate magnus. obtulit locum sepulturae senatus in suo templo, sed in Afrano depositus est ad latera liberorum ante eum locum, in quo conciones solebat audire. funebrem concionem habuit D. Iacobus Lechnerus,⁸⁾ alteram de eius vita die sequente in vrbe D. Caspar Eberhardus, qui meritis illi tribuit et veras laudes tota concione fere flente et requirente virum suae patriae fidissimum et vtiliss. Tu si quid habes ad vitam eius pertinens mihi consigna, praesertim ab eo tempore, quo rediit ex Italia, quo tempore tu fere cum eo vixisti. nam priora habeo. epitaphium curabis scribi a D. Neandro ipso et addas tuum. ab D. Adamo⁹⁾ vnum accepi et breue, sed quo coniecerim, nunc ignoro. D. Iacobi concionem video me reliquisse Misnae. curabo suo tempore vtramque imprimi cum epitaphiis quae accepero¹⁰⁾ sed in altera inuenio, quod non probo, cum se res secus habeat, de quo coram, si licebit. Velim enim te congregi cum amico Lipsiensi; et ille optat, et sperarem e re tua fore. Profectio nostra fuit Dei gratia nobis felix, nam laetam non audeo dicere, cum mihi ereptum paene sit hoc verbum. De morte vxoris Chytraei audiueram, et mihi placet quod scripsisti. sed obsecro te, cura valetudinem tuam nec simula firmitatem in aegritudine. DEVS, longitudo vitae nostrae, te conseruet incolumem. Te Misnae mecum fuisse nollem, etiam aliam ob causam, quam intelligis. Interrogarunt me amici quidam, num fratri p. m. cupiam succedere, se mihi ea in re profuturos. respondi illis dubie, quod nihil essem locutus cum socero¹¹⁾ antea. dixi tamen me non valde repugnaturum, si vocer: tametsi alii aliud sentiunt. De ea re, quam vxor tua scire cupit, nondum habeo quod respondeam. sed cura eius de nobis mihi est acceptiss(im)a. Opto filiae tuae valetudinem meliorem de qua in congressu illo ex nostris posses al[ia au]dire forsitan consilia. Vale mi frater. Salutat te tuosque vxor mea. Die Laurentii 10. Aug. 1571. Iacobus Fabricius Ch.

D. Kentmani nomine ago tibi gratias, et placet tuum.

Reuerendo viro pietate, doctrina, integritate D. Magistro Andreae Fabricio Ecclesiae Islebiensis ad D. Nicolaum pastori, fratri germano cariss(im)o suo. (Cod. ep. 281.)

4) Ernesto Caesio Afrano, Kreyssig p. 39.

5) C. Eberhardus, pastor in urbe, uid. ad ep. 56, 2.

6) Chr. Leuschner, Misniensis, med. scholae (-1575). Kreyssig p. 635. Ad eum miserat F. 'Precationum librum unum' (13. Mart. 1557). Carmen nuptiale G. F. in Poem. sac. I p. 413 sq.

7) in mg.: 13. Iulii.

8) Lincensis, pastor Afranus (1565-84). V. Müller II p. 208. 305-307.

9) Sibero.

10) Edidit Iacobus eodem anno Lipsiae apud Ioa. Steinmann. Nomina poetarum enumerat Schrebel p. 357 sq.

11) Matthia Kelnero Halensi. Iac. tum obtinebat Halis rectoratum usque ad a. 1572, quo mortuus est.

I. INDEX VIRORUM

QVI IN HIS EPISTOLIS COMMEMORANTVR.¹⁾

- Aemilius, Georgius*, 38, 2*.
Agricola, Georgius, 14, 3*. 35 (ter). 37. 38. 3. 39. 54.
Albinus, Ioa., 49, 2*. 69.
Alesius, Alex., 78, 5*.
Alfonsus (II) Ferrariensis 87, 3*.
Andreas, Ioa., 53, 1*.
Arlenius Peraxylus 62, 2*. 69.
Augustanus Cardinalis uid. Otto.
Aurifaber, Andr., 63, 3*.
- Barlandus, Hadrianus*, 24, 2*.
Bartholomaeus (Clamorinus) uid. Clamorinus.
Benzoldus, Frid., 101, 2*.
Beutherus (Mich.), 4, 1*. 5.
- Calepinus* 88.
Call(e)oreus 4, 5*. 7.
Calvinus, Ioa., 77.
Camerarius, Ioach., 10, 4. (12, 3.) (13.)
Canisius, Petr., 76, 5*.
Canterus (Guil.) 97, 6*.
Carolus IX rex Franc. 79.
Carolus, Cardinalis Lotharingus, 77, 1*.
Carpus, Claus., 80, 1*.
Cassander, Georg., 94, 4*.
Chalcondyles, Demetr., 75, 2*.
Chentmanus (Kentmann), Ioa., 26, 1*. 101.
Christianus princeps 90, 2.
Christophorus (Schellenberg) uid. Schellenbergius.
Chytraeus, Dau., 88, 4*. 101.
Cingularius, Ioa., 36, 2*.
(Clamorinus), Barthol., 10, 1*. 17.
Claudius Vrsinus 87.
Cochlaeus, Ioa., 15, 10*.
Codrus Vrcacus, Anton., 62, 3*.
Cosmas (Mediceus) dux Florentinus 87, 2*.
Crator 38, 8*.
Crelus, Mich., 41, 7.
Crusius, Mart., 3, 6*. 12, 2. 15, 3.
Cum(m)erstadius, Georg., 19, 3*. 26. 28. (37, 8.) 71, 9. — *Iulius*, 26, 4*.
- (*Dabercusius*), *Matthias*, 22, 3* 54. 70.
Daniel (Greser) uid. Greser.
- Eberhardus, Caspar*, 56, 2*. 101, 5.
Eberus, Paulus, 4, 1*. 6. (14, 1.) 30, 2.
Eb(e)lebi 38, 9. (uid. 37, 3.)* 86.
Eblebius, Ioa., 37, 3. 51 (bis), 52. 53. 87.
ab Embden, Ioa., 49, 3*.
Erasmus (Reinhold) uid. Reinhold.
Ernestus 43, 5. — *Andreas* 46, 1*. 49*. (— *Conradus* 34, 5*. 38, 11.)
- Faber, Conrad.* 92, 2.
 — *Thomas*, 53, 1*. (92, 3.)
Fagii, Pauli, filius, 57, 3.
Faustus, Ioa., 49, 1*. (52, 4.)
Fendius, Mich., 12, 4*.
Figulus, Wolfg., 50, 4*. 52.
(Flacius, Matthias) Illyricus 43, 2*. 78.
Franciscus Piso uid. Piso.
 — *quaestor amicorum (Werterorum?)* 46.
M. Fridericus 3, 2*.
Frobenius, Hieron., 88, 5*.
Func(e)ius, Ioa., 32, 3*. 99, 2*.
Fusius, Is., 84, 5*.
 — *Wolfg.*, 50, 2*. 65. 66. 69. 72 (bis). 81 (cf. 69, 5). 84, 3.
- Garxias (Mediceus)* 87, 2*.
Georgius (Zeusch) uid. Zeusch.
Gerbilius, Nic., 71, 7*. 72.
Gideon (Trepta) uid. Trepta.
Giselinus, Victor., 97, 4*.
Grauius, Val., 19, 2*. 23. 29. 38, 1.
Greser, Daniel, 6, 6*. 10, 3.
- Hadrianus Barlandus uid. Barlandus.*
Hanensis hypodidascalus 21, 2.
Hassenstenius, Bouslaus 27, 3*.
Hedericus, Bernard., 54, 3*. 70, 6.
 — *Val.*, 9, 1*.
Heller, Ioach., 38, 12*.
Henricus, Martinus, 27, 4*. 53. 54.
Henricus Petri typogr. uid. Petreius.
Hid(d)ae epitaphium 64, 2*. 71. 72.
Hiobus (Magdeburgus) uid. Magdeburgus.
Hotomannus, Franc., 79, 2*.
- Illyricus uid. Flacius.*
Ilveldensis (Thom. Stange abbas) 68, 1*.
Ioachim 82, 2.
Ioannes (Trepta) uid. Trepta.
Ioannes Fridericus princeps 39. *
Iobus (Magdeburgus) uid. Magdeburgus.
Isaac (Trepta) uid. Trepta.
- Kentmanus uid. Chentmanus.*
Kernius, Iac., 22, 23.
Koltzschius 26, 3.
Kommerstadt uid. Cum(m)erstadius.
Krusius uid. Crusius.
- Laurentius* 7, 4*.
Lauterbachius, Andr., 6, 7*.
Lauterwaldus, Matth., 34, 4*.
Lechner, Iacob., 101, 7*.
(Leuschner), Christoph., 101, 6*.
Liborius, Laurent., 39, 3.
- Lotichius, Christ.*, 3, 1*. 4. 5.
(Lutherus), Matthias, 41, 8*. 76, 6.
Lutherus, Martinus, 13. 24. 56. 73. 95.
 (*Magdeburgus*), *Iobus*, 37, 10*. 41 (bis). 43. 6. 44. 45. 53. 73. 93.
Maiores, (Christophorus) 11, 1*.
 — *Donatus*, 74*. 75, 5. (76.)
 — *Georgius*, 8, 3* (bis). 10, 2. 11. 13. 15. 24. 30, 1.
Mansfeldenses comites 57.
Mansueldicus comes, 54, 6.
Marcellus, Ioa., 15, 6 (uid. ad 14, 1).
Marliani (Barth.) 5, 2*.
Matthias uid. Dabercusius.
 — *uid. Luther.*
a Maxen, Ioa., 93, 2*.
Mechalburgicus dux (Ioa. Alb.) 73, 3*.
Medici, Cosmas, Petrus, Garxias 87, 2*.
Meienburgius, Mich., eos., 19, 9*. 20. 21. 25, 3. 33. (34.) 38, 1.
 — *Michael, fil.* (19, 7.) 23. 24. 31, 3. 32.
(Melanthon), Philippus, 5, 3*. 8 (bis). 10. 12. 17. 19. 20. 22 (bis). 24. 25. 26 (bis). 27 (ter). 28. 32. 34. 38. 43. 46. 53. 70. 73.
 — *(Philippus) filius* 28.
Melchior (Piso) uid. Piso.
Menius, Iust., 78, 5*.
Meurer, Wolfg., 18, 3*. 33. 68.
Michael uid. Meienburgius.
Mirichius, Simon, 9, 2*. 16. 18.
Molca, Caspar, 14, 5.
Molhusiani adolescentes 64, 3. (cf. 62.)
Morticius, Ioa., 3, 3*. 13. 19. 20. 42 (ter). 43 (bis). 44. 45 (bis). 46. 47. 52. 57. 58. 69. 70. 80. 82. 83. 85. 87. 90.
Mylius, Andreas, 94, 2*.
 — *Ioa.*, 33, 1.
- Naeuii, Casp. et Ioa.*, 52, 6. 91, 2. *Ioa.* 96, 1*.
Naageorgus, Thom., 70, 2*.
Neander, Ioa., 56, 1*. (73, 1.)
 — *Mich.*, 45 (bis, 1*). 46 (bis). 56 (ter). 61. 62. 63 (bis). 68. 70, 4. 71 (quater). 72. 73 (bis). 75. 78 (bis). 79. 81. 82. 83. 84. 87. 88. 89. 90 (bis). 92 (bis). 94 (bis). 96 (bis). 97. 98. 101.
Nicolaus uid. Picus.
Nontallerus 43, 4.
- Onofrius Panuinius* 71, 3*.
Oporinus, Ioa., 5, 7*. 15, 2. 16. 23 (bis). 50. 57. 69. 70. 71. 72. 77. 82. 85. 88 (quater). 90. 96. 97. 99.
Osius, Stanisl., 76, 4*.
Otto episcopus Augustanus 70, 1*.

1) Nomina fratrum omisi. — Asteriscum apposui eis locis, quibus quaedam infra adnotata sunt.

Papa, Val. 5, 5*.
Paulus III Pontifex 67, 1*, 68.
Paulus uid. Eberus.
Pensoldus uid. Benzoldus.
Peraxylus, Arlenius, uid. Arlenius.
Petantius, Fel., 15, 11*.
Petrcius, Henr., 23, 7*, 25, 75, 3.
Petrus Mediceus 87, 2*.
Peucerus, Casp., 15, 12*, 30, 2, 32, 34, 1, 56.
Pfefferkorn, Vrbanus, 12, 1*.
Philippus (Melanthon) uid. Melanthon.
(Picus), Nicolaus, 32, 1*.
Piso 3, 7, 7.
 — *Franciscus* 27, 1, 37, 6, 50, 52, 1, 98. (*filius Petrus, Paulus, Iacobus* 27, 37, 6.)
 — *Melchior (in Stiria)* 6, 4, 27, 37, 6, 75. (*filius Martinus, Valerianus, Christophorus* 27.)
Plateanus 4, 3*, (7, 2.)
Praetorius, Alex., 96, 2*.
Punica 81, 2.

Reiffensteinius, Ioa. With., 54 (ter, 5*), 68.
Reinstenii 86, 3.
Reinholdus, Erasmus, 14, 2*, 38, 1, 47.
Reuschius (Ioa.) 6, 5*.
Ritius, Ioa., 21, 3*, 20, 1, 82, 4.
 — *Paulus* 19, 3.
Rostius 71, 3*, 84.
Rulichius, Laur., 37, 9*.

Scheinius, Hier., 54, 4*.
Schellenbergius, Christoph., 48, 1, 54 (bis, 2*), 69.
Schirnerus 78, 1*.
Schleinitz uid. Sleimicii.
Schultesius, Mich., 63, 1*, 84, 2.
Scultetus, Ioa., 54, (53, 1*).
 — *Mich.*, 63, 1*.
Siberus, Adamus, 3, 5*, 41, 9, 47, 48 (quater), 50, 9, 53, 54, 82, 3, 101.
 — *Henr.*, 48, 2*.
Sittardus, Matth., 97, 3*.
Sleidanus, Ioa., 43, 7*, 45.
Sleimicii 53, 2*, 70, 7.
Solimanus 99, 1.
Soter, Andr., 65, 3*, 69.
Spangeberg, Cyr., 83, 3*.
Staphylus, Frid., 59, 1*, 70, 76.
Starckius, Seb., 47, 6*, 50, 6, 52, 57, 58, 65, 69, 70, 80 (bis), 81, 82, 83, 87, 89, 90, 92, 93 (bis), 94.
Steltznerus, Petr., 41, 6.
Sthenius, Sim., 53, 1*.
Stiller, Ioa., 50, 3.
Strasburgus, Iac., 54, 4*, 63 (ter), 70, 72, 73, 74, 75 (bis), 76 (bis), 80, 84 (bis), 85.
Sturmius, Ioa., 1, 6* (bis), 3, 7 (bis), 37, 41, 2, 45, 57, 70, 72, 1, 74.
Suebus Nobilis 30.
Sueneuldiani 37, 9*.
Tauder, Ioa., 95*.
Tetelbachius, Ioa., 20, 2*, 29, 32, 39, 76, 77, 97.

T(h)omaeus, Peter, 37, 11*, 43.
Trepta, Abraham, 40, 4, 43, 56, 57, 65, 68.
 — (*Georgius*), 6, 9, 13, 36, 37, 5, 40 (bis), 41, 43, 44, 45, 46, 52, 53, 54, 57, 70, 74, 75 (bis), 76, 84, 96, 98.
 — *Gideon*, 19, 20, 97, 98.
 — *Ieremias*, 87.
 — *Ioannes*, 25, 37, 38, 40 (bis), 43, 46, 54, 56, 57, 68.
 — *Isaac*, 98.
 — *Margarita*, 54.
 — *Sara*, 39, 87.

Vraeus, Codrus, 62, 3*.
Voegelius, Ernest., 90, 1*.
Vrsinus, Claudius, 87.
Vulleius, Ioa., 23, 3.

Wellerus, Hieron., 15, 4*, 62, 92.
Wendelinus 46, 3.
Werteri 1, 4*, 18, 2, (15, 1), (43.)
 — *Ant.*, 3, 38, 43, 76, 2, 89.
 — *Phil.*, 3, 43, 58.
 — *Wolff.*, 3, 38, 40 (bis), 41, (72, 6.)
Werterianus nuncius 18.
Wiclebius, Henr. a—, 1, 2*, 37, 2, 48, 1, 59, 71, 73.
Willichius, Iod., 20, 3*.

Zelimus 99.
(Zeusch.) Georgius, 19, 4*.
Zuingliani 37.

II. INDEX LIBRORVM GEORGII FABRICII

QVI IN HIS EPISTOLIS COMMEMORANTVR.

Acro uid. Horatius.
Antiquae scholae Christianae lib. II 92, 3.
Antiquitatum libri II 23, 6*.
Artis dialecticae rudimenta 38, 5, 70, 5*, 71, 72.
Carminum (epithalamiorum) libri III 24, 4, 38. *Vid. ad* 5, 4*.
(Carminum nuptialium Georgio F. scriptorum libri II 54, 4. *uid.* 52, 53.)
 — *sacrorum libri uid. poemata*.
Carmen de natali Christi uid. Elegia.
Christianae antiquae scholae I. II uid. Antiquae sch. Chr. I.
De re poetica libri VII uid. Re poet.
Dialecticae artis rudimenta uid. Artis d. r.
Electorum Saxoniae et Marchionum Misniae uitae, lib. II 23, 7*.
Elegantia e Plauto et Terentio (69, 4*) 99, 4.
Elegia de morte Fusii 72, 7, 84, 3.
de natali Christi 20, 4*, 57, 77, natalicia, pastores 97, 7*. (*Vid. etiam Carmina epithalamia et Carm. nuptialia.*)

Epithalamiorum liber 5, 4*.
Epitheta 99, 3*.
Expositio in pacanas uid. Pacan.
Genealogia Saxonica uid. Origines Sax.
Heroicön liber unus 95, 3*.
Historia sacra uid. Viri illustres.
Horatius cum Helenii Acronis et Pomponii Porphyronis commentariis 25, 2*, 34, 37, 38.
Hymnorum libri 8, 4*, 11, 15, 2, 38, 69.
Itinerum liber unus 7, 5*.
Militiae sacrae libri II 38, 6*.
Mimi uid. Publii Mimi.
Odorum libri III (20,) 5, 6*, 7, 5, 16, 38.
Originum Saxoniarum lib. VII 40, 5*, 57, 84, 85, 88, 101.
Pacanus Angelicorum lib. III 88, 2*.
In Pacanas tres Prudentii, Sedulii, Fortunati Expositio 94, 6*, 95.
Partitionum grammaticarum lib. III 38, 4*, 40, 41, 57, 70, 72, 73, 76, 77, 98.
Pastores, elegia natalicia 97, 7.
Pietatis puerilis libri III 38, 6*.

Poematum sacrorum lib. XXV 37, 4*, (38,) 50, 5, 69, 70, 72, 73, 75, 81, 84, 96, 99.
Poetarum ueterum ecclesiasticorum opera Christiana 8, 5, 79, 3*, 82, 85, 90, 92.
de poetica re uid. de Re poet.
Precationum liber unus 38, 6*.
Publii Mimi 69, 4*, 71, 5*, (99, 4.)
de Quantitate syllabarum 38, 7*.
de Re poetica libri VII 95, 2*, (38, 7.) (99, 3.)
Roma 3, 4*, 4, 5, 23, 37, 38, 72, 73, 76, 77.
Seruius uid. Virgilius.
de Syllabarum quantitate 38, 7*.
Syntaxis partium orationis apud Graecos 72, 8*, 73, 75, 84, 86.
Tabulae grammaticae uid. Partitiones.
Victoriarum coelestium libri III 19, 6*, 23, 5, 25, 26, 38.
Virgilius cum Donati et Seruii commentariis 62, 4*, 69, 72, 81.
Virorum illustrium seu Historiae sacrae libri X 89, 1*, 90, 91, 92, 94, 97, 99.